

226

## RELATIO ROM. CVR. FORENSIS

qui in ipsius Legati, vel Oratoris obsequio, ac seruitio sint, cum omnes ipsum pariter miter comitari dicantur; Itaque posterior opinio maiores habet sequaces, magisque recepta videtur. G.

Verum & in hoc dignoscitur videtur aliquid aequiuocum praesertim apud modernos, cum istius opinionis auctor, qui apud Iuristas antefigurandi nomen seu vocabulum sortiri solet H. percusat exemptionem, a reprobatione, ac etiam ab aliquibus vel citius galibus, & pedagijs, a quibus, cum sint indicta priuatis ciuibus, & incolis, congruit ut huiusmodi Legati, & Oratores, omnesq; eius comites & familiares excepti sint, dum eorum accessus, vel mora respectuue, est occasionalis.

Siuè etiam quoad iurisdictionalia, tam in ciuibus, quam in criminalibus, ut pro delictis, quae in propria patria, seu alibi patrata sint, vel pro debitis alibi contractis, etiā in ipsa Vrbe, sed prius, & in altero tempore, aliaue occasione, molestias pati debent, de tempore quo, istam publicam functionem peragunt; Et sic per quādam speciem illius franchitiae, vel immunitatis, quae concedit soler accendentibus ad hundinas, aliaque publica emporia I; Siuè illius exemptionis, quae conceditur Episcopis, eorumque familiaribus, quando accedant ad visitandū limina Apostolorum ut eas recipere non valeant molestias, quas in ipsa Vrbe tanquam in communipatria, vel residentia Principis, ideoque in foro competenti, seclusa ista occasione, alias pati possent L; Istique sunt termini legales, qui Iuristi congruunt.

Manifestus autem eorum error est, se ingerere in illis terminis politicis, vel congruentiae, cum quibus procedi debet, vel solet quando agatur de Oratoribus supremorum Principum independentiū, eorumque familiarium, vel domesticorū; Quoniam in his, vel consuetudo, vel alia temporum contingentiae totum faciunt, iuxta regulas prudentiales potius, quam

legales, etiam respectu criminum, quae in ipsa Vrbe patrarentur, siue debitorum, quae ibidē contraherentur, et super quibus integer locus veritati relinquitur, nihil desuper firmando, minusq; proprium interponendo iudicium.

Illud autem in hoc proposito aeris alieni, quod in ipsa Vrbe per Oratores, eosrumque familiares contrahatur, cum mercatoribus, & alijs, ratione mercium, vel virtualium, quae pecunia credita data sunt; Memoria dignum videtur, prudenter, magnique Pontificis Innocentij Decimi oraculum; Quod scilicet, aliquibus mercatoribus, alijsq; negotiantibus, ad ipsum recurrentibus pro administratione iustitiae, & coactione cuiuldam Oratoris qui à Curia discedebat, faltim per sequestrum vel arrestum bonorum, eos interrogavit, an inuiti, & coacti, ea bona, & virtualia, vel pecunias credidissent, ob aliquā scilicet potentiam, quae cū eis adhibita esset; Vel potius, quod vltro, etiam cum fauoribus & diligentijs, imo cum munib; & corruptelis ministrorum, tanquam per speciem concursus ad beneficium id egissent; Quoniam primo casu, libenter iustitiam ministrari demandasset, cum sequestro bonorum, quinimō offerebat eius interpositionem apud eisdem Oratoris Dominum, per eius Nuncium pro coactione; Quinimō quod in omnem euentum, ne sub eius regimine, ac publica fide elusi remanerent, ministris cameralibus, ex ipsius met Cameræ aere, illorum satisfactionē demandasset; In altero autem casu, sibi ipsis imputarent, cum ita, ob spem magni lucri, quod huiusmodi mercatores, & negotiatori facere satagunt, dando merces, & virtualia Oratoribus, alijsq; exteris Magnatibus & nobilibus qui ad Curiam accedunt, pecunia credita, quandam specie contractus, super incerta alea inire videantur; Atque ita in huiusmodi recurrentibus sequutum fuit, id quod in Evangelio

G. Bald. in l. administrantes s. eorum ff. de excusat. tutor. Bonac. de famul. quest.

35. Bertachin. de gabell. par. 7. quest.

13. num. 35. Franch. March. dec. 425.

Villadieg. de Legat. par. 3. quest. 5. n. 10.

H. Bald. ubi supra.

I. tit. de Regal. dist. 131. & 132.

L. tit. de iurisdict. dist. 89.

gelio legitur de accusatoribus adulteræ, ex Christi Domini oraculo, vt qui sine peccato essent, in eam lapides injicerent. In reliquis autem, vt premissum est, totū facere videntur principatum styli, qui etiam pro rerum, ac temporum circumstantijs, & oportunitatibus, varijs esse solent, atque à prudentialibus potius, quam à legalibus regulis normam recipiunt ideoque prorsus incongruum, est Iuristi de his agere.

procuratoribus pauperum, à num. 118. ad 126.

V. I.

De Sollicitatoribus, & Agentibus, à num. 127. ad finem.

## S V M M A R I V M

**1** **S** Vb nomine Curiarium qui veniant in generali significatione.

**2** Et qui iuxta usum loquendi Curiae.

**3** De eodem, & qui sunt Iudices, qui dicuntur etiam curiales.

**4** De distinctione plurium specierum curiarium.

**5** De distinctione plurium specierum Aduocatorum.

**6** De eadem distinctione Procuratorum.

**7** De examine Procuratorum, ut scribere possint in Rota,

**8** Sub nomine Procuratorum in Curia, qui propriè veniant.

**9** De antiqua distinctione inter Aduocatos, & causarum Patronos.

**10** Quales essent antiqui oratores et an differant, ab Aduocatis.

**11** Quid importet Aduocatio, seu nomen Aduocati.

**12** De eadem distinctione de qua, supra num. 4.

**13** Oratorum nomen quibus hodie conueniat.

**14** De erroribus scriptorum adhibendi nunc aliqua vocabula antiqua.

**15** Qui sunt propriè Aduocati Curiae Romanae, & in quibus versetur eorum manus, & à quibus se abstineant.

**16** De Aduocatorum mercede, & infra num.

**17** Quod etiam Clerici in Sacris hoc munus in Curia exerceant, & de rationibus.

**18** Quomodo se informent de facto, eiusque circumstantijs.

**19** Quales partes, vel dotes babere debeant Aduocati, & defensores.

**20** De maiori peritia quae necessaria est in Aduocatis Curiae Romane, & de ratione.

**21** De errore opinantium quod Professores Curiae non bene calleant ius ciuile, & materias praphanas.

**22** Quod in Vrbe seruetur potius ius ciuile.

**23** De integritate, quae in Aduocatis requiritur, & quod adsit in Aduocatis Curiae.

p. 2. Relat. Ff 2 24 Quod



- 24 Quod in Curia zota vis sit in bene scribendo, non autem in loquendo, & quomodo loqui debeant Aduocati, vel orationis informare.
- 25 In quo consistant strepitus, & clamores fori.
- 26 De diversa forma antiqua orandi, & de ratione diuersitatis.
- 27 Quid hodie importet orare sive informare in voce.
- 28 De modo scribendi.
- 29 Quod non debeant excitari obiecta.
- 30 De ratione ob quam regula artis oratoria non debeant practicari.
- 31 Quod sit studendum breuitati, & de ratione.
- 32 Damnatur opinio eorum qui stylis breuitatem referunt distinctioni punctorum.
- 33 Damnatur item stylus prolixus replendi chartas superfluis allegationibus.
- 34 Assignatur ratio differentiae, cur antiquiores erant copiosi in allegationibus, quae hodie sunt damnabiles.
- 35 An attendi debeant potius auctoritates, quam rationes, & e contra.
- 36 Quod hodie cessent multæ questiones antiquitus inuolutæ.
- 37 De pluribus questionibus prius inuolutis hodie planis, & de alijs super quibus damnatur usus allegationum.
- 38 Quando congruat cumulus auctoritas.
- 39 Et quomodo isto casu sit scribendum seu laborandum.
- 40 De antiquo vocabulo damnabili leguleiorum.
- 41 Quod sit principaliter studendum congrue applicationi.
- 42 An Aduocati possint scribere contra propriam opinionem vel conscientiam.
- 43 In yis que consistunt in facto, non datur excusatio.
- 44 Quid in yis que consistunt in punclo iuris.
- 45 Quale sit munus, vel obligatio Aduocatorum in causis dubiis.
- 46 An commendabiles dicendi sint restrictus plurimum informationum Aduocatorum.
- 47 De Aduocatorum mercede, & de pacto quatuor litis.
- 48 De Collegio Aduocatorum consistorialium, eiusque origine.
- 49 De numero busmodi Aduocatorum, &
- de participantibus.
- 50 De prærogatiis quibus potiuntur quinque supranumerary.
- 51 De Decano Collegij, & quis sit habilis ad decanatum.
- 52 An hoc officium sit compatibile cum Prælatura.
- 53 De solemnitatibus præ admissione novi Aduocati, & requisitis necessariis.
- 54 De Cuiuslibet habentibus locum fixum, & quales ad istud collegium assumentur.
- 55 De iniuria quæ desuper fieri videtur Regno Neapolitano.
- 56 De maioribus istius Collegij emolumenis, unde prouenant.
- 57 Habet facultatem doctorandi.
- 58 De loco in Cappella, & de alijs huiusmodi Aduocatorum præminentibus.
- 59 De iure orandi in Consistorio, & in solemnitate Canonizationis Sanctorum.
- 60 Interueniunt in Conciliis generalibus.
- 61 De habitu domestico, seu priuato quo utitur.
- 62 Habet præcedentiam supra alios Aduocatos, & quales alios habeant prærogatiis supra alios Curiales.
- 63 Habent regimen, & administrationem studiorum Verbis.
- 64 De coadiutoria filiorum vel nepotum.
- 65 An Aduocatus fiscalis, & Aduocatus pauperum assumi debeant ex isto Collegio.
- 66 Quod sit munus nimia ex existimationis, & considerabilis utilitatis atque ex eo multi prodierint Pontifices, Cardinales, & Praefuses.
- 67 Sunt familiares Papæ, & habent partem palatij.
- 68 Administrant bibliothecam Sapientiae.
- 69 De Aduocato Pauperum, & quod in Curia libenter Aduocati, & Procuratores suscipiant patrinium pauperum.
- 70 Aduocatis Consistorialibus id incumbit ex officio.
- 71 Quod sint distinctæ professiones ciuilistarum, & Criminallistarum.
- 72 Quomodo in Curia tractentur causæ criminaliales.
- 73 Quod laboriosum, & valde incommode sit officium Aduocati pauperum.
- 74 De buius officij emolumenis, & utilitate.
- 75 Interponit decreta voluntarie iurisdictionis.

- 76 Habet audientiam Papæ.
- 77 Quare sit officium incommode, & aruanosum.
- 78 Quare oporteat officiales particulares deputare pro defensione pauperum.
- 79 Est munus compatibile cum aduocatione aliarum causarum ciuilium.
- 80 Quibus potiatur prærogatiis, & quod soleat esse perpetuum.
- 81 Seder in Congregationibus, & præcedit Aduocatum fiscalis.
- 82 De Aduocato pauperum promoto ad Cardinalatum.
- 83 Prohibetur tueri causas criminales etiam ad defensam cum premio.
- 84 De Aduocato fiscalis, & Cameræ, eiusque munibus.
- 85 Quare dicatur Aduocatus fiscalis, & Cameræ, & de differentia inter Cameram, & fiscalum, seu inter plures fiscalis species.
- 86 In quibus causis fiscalibus se ingratit Tribunal Cameræ.
- 87 In quibus Congregationibus criminalibus interueniat.
- 88 Materia criminalis in quo constat, & per quem tractetur in Curia.
- 89 Qui nam assumantur ad officium Procuratoris Fiscalis.
- 90 Quod in materia criminali procedatur ut plurimum cum stylis, & bannimentis.
- 91 An istud officium Aduocati fiscalis obtineri possit per Clericos in Sacris compatibiliter, vel potius redoleat irregulatatem, & de istius materia.
- 92 Quales sint partes Aduocati fiscalis in Congregationibus criminalibus, et an possit allegari suspectus.
- 93 De equiuoco scriptorum in ista materia.
- 94 De existimatione istius officij, & de ratione.
- 95 De officio promotoris Fidei.
- 96 Quod istud officium Aduocati fiscalis occupari consuevit à viris primarys.
- 97 De procuratoribus Curie Romanae, corumque munere, & qualitatibus.
- 98 Procuratores Curie Romanae exequantur Aduocatis aliarum Curiarum, & de ratione.
- 99 Quomodo scribant, seu quomodo debeant scribere.
- 100 De stipendio procuratorum seu honorario.
- 101 De Collegio procuritorum causarum, & Palati Apollonii.
- 102 De eorum numero, & nouis receptionibus ad Collegium.
- 103 De qualitatibus necessarys in yis, qui sunt recipiendi.
- 104 Quod viri nobiles esse soleant de isto Collegio.
- 105 Ex eo prodierunt Cardinales, & Praefuses.
- 106 Item plures Autores.
- 107 De iurepatronatus, quod antiquitus habebat in Archipresbyteratu Rotundæ.
- 108 De festo S. Michaelis, quod celebrat, eiusque solemnitate.
- 109 De equitatione in apertura Rote, & de alijs functionibus.
- 110 Quod ad solos Collegiates restringendum non sit munus Procuratoris.
- 111 De examinatione Procuratorum, ut scribere possint in Rota.
- 112 An Aduocati, & procuratores cogi possint in iusti consulere, & patrocinari.
- 113 De propositione quod plus merentur Aduocati bene officium suum facientes, quam Chartusiani, & de ratione, & in quo constat periculum Aduocatorum.
- 114 De effectibus resultantibus ab integratate curialium.
- 115 De contractibus inter Aduocatos, & procuratores & clientes.
- 116 Quod Aduocati in Curia pendeant a Procuratoribus.
- 117 De alijs pertinentibus ad Aduocatos, & procuratores, & praetertim circa pacas ob conuincia, ac etiam an licet deducere motus irredeuantia.
- 118 De Procuratore fiscalis generali, & de Commissario Cameræ, alijsque procuratoribus in officium.
- 119 Sunt familiares Papæ, & quibus prærogatiis potiantur.
- 120 Quod sit maior istorum auctoritas, quam Aduocati fiscalis.
- 121 Fiscalis, & Commissarius habent audienciam Papæ.
- 122 Antiquius erat maior auctoritas Commissarij.
- 123 Ex quibus ordinibus curialium isti officiales assumuntur.
- 124 De eorum Substitutis.
- 125 De alijs fiscalibus aliorum Tribunali.
- 126 De

- 126 De procuratoribus pauperum.  
 127 De Sollicitatoribus eorumque diuersis speciebus.  
 128 De munere sollicitatorum forensium, seu causidicorum.  
 129 Unde proueniat quod aliquando Procuratores incurvant notam non integratam.  
 130 Laudatur in ijs, qui Aduocati, vel Praelati munus assumpturi sunt, ut sollicitationi varent.  
 131 De Expeditoribus Datariae, & Cancellarie.  
 132 De Sollicitatore Camerae.  
 133 De Agentibus priuatis, & alijs in officium.  
 134 De alijs speciebus curialium.  
 135 De differentia inter Curiam Romanam, & alias curias circa promotionem Aduocatorum ad Magistratus.

## DISC. XLVI.

## I.

## De Curialibus in genere.

  
 Vamuis (ut alias aduertitur A) Curialium nomine, seu vocabulum, in eius generica significatione, congruat omnibus, qui Curiae sequuntur, cuiuscumque sint gradus, & conditionis, maioris, vel minoris, ideoque Cardinalibus, ac Praelatis, eorumque; ac Papae, & Oratorum Principum, vel Magnatum, aulicis, & familiaribus; Atque non solum causidicis, & negotiorum actoribus, sed etiam inferioribus operarijs, earumque causarum & negotiorum, vel aulicis seruitio, addicatis, vel operarijs, & sic etiā Notariis, Cursoribus, Copistis, & inferioribus famulis, ac ministris. Et in summa, pro regula generali, illis omnibus, qui occasione Curiae, in Urbe morentur; Exceptis solum illis ciuibus, & incolis, qui nullatenus in Curia se ingerant, sed solo iure vel ratione ciuica naturali, vel domiciliaria, in ea versentur, dum etiam illi Romani ciues, vel incolae, qui aliquod curiale munus gerant, sub hoc nomine

veniunt, atque Curiales dicuntur. B  
 Attamen, pro communi, seu vulgari vsu loquendi, sub curialium nomine, illi solum designantur, qui togati, in causis iudicandis, aut in negotijs peragendis vertantur, quoniam, Cardinales, & Praelati, ac etiam Notarii, Copistae, Curfores, & alij inferiores ministri, sub eo: sū proprijs, ac particularibus vocabulis explicantur; Curiales vero aulici, id est Papae, & Cardinalium, vel Praelatorum, & Magnatum familiares, diuersam habent nuncupationem, quoniam appellantur Corfesani; Ideoque nomine curialium, non quidem in legali, sed in vulgari, & communi significatione, veniunt solum causarum, & negotiorum Curiae actores, qui etiam in plures species distincti sunt, nēc pē Aduocati; Causalrum Patroni, qui Procuratores vulgo dicuntur, Sollicitatores negotiorum judicialium; Alij sollicitatores negotiorum Datariae, & Cancellarie, qui Expeditores appellantur; Ac illi, qui causalrum, & negotiorum curam habent, vulgo Agentes nuncupati; Quāvis enim nonnulli adsint Iudices non Praelati, sed togati, qui causas non agunt, sed iudicant, isti quoq; Curialium nomen quoq; congruat; Ut (ex. gr.) sunt duo Collaterales, & Iudex maleficiorū, & Capitaneus Appellationū Capitolij; Locumtenetes criminales Gubernatoris, Vicarij, & Auditoris Cameræ, Assessores Aedilium, & Consulium, Agriculturæ, & alij Assessores, vel Iudices Collegiorum vel artium, aut piorum locorum; Ac etiam Cardinalium, vel Clericorum Cameræ Auditores, qui sub iudicium sphaera venire videntur; Attamen, forte nulli, vel nimium rari sunt casus, in quibus huiusmodi togati, de prefatis speciebus, Aduocatorum, & Procuratorum, vel Agentium, non participant.

Praefatae itaque Curialium species, plures habent distinctiones, quoniam; Alij suum respectivè munus in officium habent; Ut, quoad Aduocatos, sunt illi, Pauperum, & Cameræ, seu Fisci; Et quoad Procuratores, sunt, Procurator fiscalis generalis Urbis, & Commissarius Cameræ; Et quoad sollicitatores, est pariter Sollicitator Cameræ, ac etiā Substitutus Procuratoris fiscalis; Et quoad Agentes, sunt illi

A. supra disc. 2.

B. sub tit. de benefic. disc. 20.

## DISCVRVS XLVI.

illi Communitarum; Isti etenim distinguuntur à reliquo genere curialium, qui iure priuato suum munus agunt, dum isti, illud habent in officium, iure publico.

Prout etiam, inter Aduocatos, alia cadit distinctio, inter illos Consistorij, qui 5. Collegium constituunt numeratum, Consistoriales proindē appellati, qui etiam, quodam iure publico, atque in officium, id habere videntur, cum ad id assumantur ex provisione Papae in titulum; Et alios simplices Aduocatos, qui ex priuata facultate, solaque ratione professionis, istud munus exercent.

Et quoad causalrum Patronos, qui vulgo Procuratores, (ad differentiam Aduocatorum) appellantur; Illi pariter distinguuntur, inter eos, qui sunt etiam Consistoriales, atque collegium etiam constituunt, ab isto, non autem à Consistorio vulgarem denominationem desumentes, ideoque Procuratores de Collegio appellantur; Et alios omnes non collegiales.

Verum isti quoque Procuratores non collegiales, ab aliquo moderno tempore nostrę ætatis, in quo Rota, introduxit stylum, nō admittendi ad scribendum in facto, in causis, quæ agantur in eo Tribunali, nisi eos, qui praevio examine coram Decano, per duos examinatores ex antiquioribus Procuratoribus Collegij ad id approbati fuerint, adest alia distinctio inter approbatos, qui Rotales dicuntur, & alios in genere non approbatos.

Quamuis enim, istud Procuratoris vocabulum, in eius lata, & generica significatione, conueniat omnibus illis, qui alterius mandatarij sint, atque cum mandato expresso, vel presumpto, aliena negotia gerant, vel administrent; Atque legaliter, illi distinguuntur, inter Procuratores ad negotia extrajudicia, seu æconomica, & Procuratores ad iudicia C; Attamen, pro communi vsu loquendi Curiae, istud vocabulum Procuratorum, usurpatur pro ijs, qui sint causalrum Patroni, earumque defensores principaliter in ijs, quæ facti sunt, quamvis nullum habeant procurare mandatum, neque acta iudicia tanquam tales gerant, cum pro frequentiori praxi, istas partes veri pro-

curatoris, qui gerat cum mandato procurare acta iudicia, explicit: Sollicitatores, vel illi negotiorum curam habentes, qui vtsupra, Agentes appellantur.

Ista vero contradistinctio, quæ habetur inter Aduocatos, & causalrum Patronos (qui in aliquibus partibus, sed male pro synoimis reputatur) antiqua est, in ipsa met antiqua prophana Curia Reipublicæ Romanae, dum etiam apud illorum temporum scriptores ista distinctio habetur. D

Quinimmò, non quatuor tantum orationes predicti habebantur, sed quinque; Siquidem aderat alter ordo Oratorum, contradistinctus ab Aduocatis; Unde propterea, male communis vulgi opinio, oratores, & Aduocatos, habet pro synonymis, dum erant diuersae professores; Aduocati etenim erant omnes illi, qui siue in forma iudiciali, siue extra iudiciali, siue qui in scriptis ac oretenus cū legibus, vel rationibus in ratione protectionis, vel negotiatione, alicuius defensionis, assuebant; Oratores vero illi qui pro auctore, vel reo, publice in Senatu, vel in alio cōgressu orabant, eos defendendo, vel accusando, dum inter boni oratoris partes, artis oratione instructores, & magistri, illam cipiunt, ac laudant, quæ consistat in scientia legum; Igitur diuersum erat genus legistarum, & professorum, ab illo oratorium. E

Adeoque istud Aduocati vocabulum, potentiali, seu auctoritatius defensioni, ac protectioni congruebat, vt apud ipsum Apostolum, aliosque illorum temporum Sanctos PP., Christo Domino illud attributum legatur; Apud alios vero pios scriptores, Beatae Virginis Mariae, & Sanctis intercessoribus; In prophanicis autem, Regibus, & Principibus, vel etiam potentibus Magnatibus, seu nobilibus familijs, qui alicuius Ecclesiæ, vel Ciuitatis, aut familiæ Aduocationem assumerent, id est defensionem, & protectionem.

Hinc proindē, clarus est modernorum error, vt nostrorum temporum Aduocatis forensibus applicare velint ea, quæ apud antiquos scriptores, super aduocationis, vel defensionis munere habentur

C. supra tit. de iudic. disc. 6. &amp; lib. 7. tit. de tutor. curator. alijsque administratoribus.

D. Quintilian. instit. orator. lib. 12. cap. 3.

E. Quintilian. d. cap. 3. lib. 12.

tar, non reflectendo ad distinctiones temporum, personarum, & negotiorum, seu occasionum.

Hodiè itaque, pro Curiç Romanæ styllo, in negotijs forensibus utriusque iurisdictionis, contentiose, & voluntariæ, siue in contradictorijs, & gratiolijs, dictæ quatuor species habentur; Aduocatorum & Causarū Patronorum, qui Procuratores dicuntur, Sollicitatorum; Et Agentium, dum nomen seu vocabulum oratorum in latino curiali sermone congruere solum videtur illis Principum, & Republicarū vel Ciuitatum Legatis, & Nuntijs, qui vulgo Ambasciatorum dicuntur, vel sint F; Adeòt illi, qui ab eisdem Principibus, vel Republicis, & Ciuitatibus mittuntur, vel deputantur, quamvis in effectu idem mutus explicit, vbi rāmen p̄fatus Ambasciatorum titulus eis non tribuitur, diuersum, Internuntiorum, vel Residentium, siue Agentium, non autem Oratorum fortuntur vocabulum; Ac propterea, longè diuersus est loquendi usus antiquorum, ac modernorum.

Ideoque tam in his, quam in alijs, manifestè erroneus, atque irrisione dignus est stylus illorum modernorum scriptorum, qui grammaticæ regulas rigorosè affectantes, Ciceronis, aliorumque illorum temporum scriptorum vocabula, adhibere fatigunt, ita in æquiuoca frequenter incidendo, atque capiendo quid pro quo; Atque ad id per modernos scriptores est reflectendum, dum maiorem doctrinam, ac peritiam ostentare volentes, ita se indoctos ostendunt, atque publicant; Idque etiam apud scriptores italicici idiomatis, siue illius Italicae politioris linguae, quæ heterusca dicitur, freques praxis, censura, & irrisione potius digna, comprobant; Commendatione siquidem digna est, culta, & politior lingua, sed iuxta communem, & currentem usum, non autem expiscando, siue ab antiquis tumultis resuscitando illa antiqua vocabula seu verba, quæ in desuetudinem, ac obliuionem iam abierunt, hunc enim errorum, etiam antiqui Iurisconsulti, (si corum est illa lex) damnant. F

F. supra disce. precedenti.  
G. lib. 2. ff. de origine iuris.

## I. I.

## De Aduocatis Curie, in genere, &amp; de eorum modo scribendi, &amp; orandi.

**A**DUOCATI itaque, iuxta Romanæ Curiae stylum, sunt illi, utriusque iuris communis, civilis, & canonici (sub quo reliquum ius particolare venit) Professores, qui tam in scriptis, quam orationibus, causas in punto iuris tantum tuerunt, iudicibus insinuantes, quid de iure verius statutum sit; Siue an iuris, iam notæ, & receptæ propositiones, illi casui bene applicentur, & congruant, & quomodo; Ita solas, nobiles, ac scientificas ingenio partes explicando, iuxta facti presupposita, quæ per causarum Patronos eis fiant' more antiquorum Iurisconsultorum, de iure tantum respondentes; Unde propterea, processus, & acta, nullatenus vident, neque in hoc mechanico nauseatio labore versantur; Minusque in actorum iudicialium compilatione, dum omnia haec geruntur per causarum Patronos, qui ordinant libellos, vel commissions, aut supplications, alias uè petitiones, nec non articulos, & interrogatoria, aliaque omnia acta, quæ processus compilationem respiciunt; Atque ad summum in aliis causis grauioribus, in quibus maiori diligentia adhibenda sit, commissions, vel petitiones, alias uè iudiciales declarations, vel protestations, postquam à cause Patrono composite sunt, transmituntur per manus Aduocatorum, siue ab istis, illi in congressibus, consiliū, vel normam Procuratores recipiunt, quomodo eas concipere debeant.

Prout etiam Aduocati, se non ingerrunt in conficiendis minutis instrumentorum, aliarumque conventionum, quoniam ob copiam peritissimorum Notariorum, ab istis id frequentius (& bene) explicatur; Siue in grauioribus negotijs, id committitur alicui perito causaū Patrono; Transmittitur autem solum minuta reuidenda per manus Aduocatorum.

Ac etiam Aduocati, qui re, non autem solo nomine sint tales, unde propter classici dici mereantur, nullatenus se ingerrunt in alijs actibus, vel rebus iudicilibus; Puta, in cura hereditatis iacentis, vel patrimonij decocti existentis sub cōcursu, alijsque similibus mechanicis munibus

ribus, quæ omnino abhorrentur.

In desuetudinem quoque hodie penè abiit in Aduocatis ille usus, qui antiquitus erat frequens, annorum scilicet, vel menstruorum stipendiiorum, quæ sub salarij nomine vulgo explicari solent; Et meritò quidem, cum istud salarij vocabulum, quandam famulatus speciem redolere videatur, huic muneri omnino incongruam, ac indecentem, ideoque laborum premium, sub honorarij vocabulo in iure meritò explicatur, illudque pro communi inconcussio, qualificatorum, & classiforum Aduocatorum stylo, merè voluntarium est, dum nonnisi à sponte dantibus recipitur, adeòt, non solum iudiciales petitiones abhorreantur, atq; nunquam audiuntur, sed neque extrajudiciales, ijs exceptis, qui in sola nuncupatione Aduocati, revera tales dici non merentur, neque existimantur.

Hinc proinde sequitur ut sit probabile fundamento innixa Curiç consuetudo à scriptoribus communiter probata, ut clerici, etiam in sacris, studi mu-

nus licet peragant, quamvis ex sacrorum Canonum, & Conciliorum decretis, eis vetitum sit, atque illicitum reputetur H, dum ita, etiam claustralibus, & regularibus clericis congruere posset; Tum ex dicta ratione, quod laborum ingenij mercedem, nonnisi à sponte dantibus recipiunt; Tum fortius quia omnis occasio abest calumniandi, vel mendacij reatum incurandi, dum scribunt, & loquuntur iuxta ea, quæ in facto per causæ Patronos presupponuntur, ita more antiquorum Iuris Consultorum, respondentes iuxta ea, quæ proponuntur; Eo modo quo etiam religiosi moralis theologiæ professores, super casibus conscientiae cōfulti respondēt; Adeòt aliud vitæ forensis, ac secularis vestigium adesse non videatur, nisi in casu quo in Tribunalis Auditoris Cameræ, vel in alijs superioris recentiis informationes fiant in contradictione, dum in Rota, & in Camera, ac in Sacris Congregationibus, iste stylus non habetur, ut agendo de Tribunalibus supra adpertitur; Ac etiā quia ista est principali-

ter curia Papæ Principis ecclesiastici, vt etiam in fortioribus terminis militum, alibi aduertitur. I.

Forum autem quæ facti sunt, super tenore scilicet instrumentorum, aliorum que in plenum, vel super depositionibus testium, ad effectum, vt per tramites iuris relevantiam, vel irrelevantiam dignoscere valeant, atque actiones, vel exceptiones comprobare, siue super congrua applicatione ad casum discurrere, illam habent, alibi insinuatam L notitiam, seu informationem, quam habent quoque Indices, qui pariter non vident processus, & acta, siquidem scripturarum, & depositionum testium, partes substantiales, per causæ Patronos, hincinde dantur in summario; Quandoque tamen, sed raro, (prudenter quidem, & commendabili, & quo frequentius eo melius), tam Iudices, quæ Aduocati, mandant sibi dari copiam instrumenti, vel alterius documenti, aut depositiones testium per extensū, cum exinde aliqua meliora desumere soleant motiva, seu relevantiam, vel irrelevantiam, melius dignoscere.

In omnibus causidicis, vel curialibus, specialiter autem in Aduocatis, illæ partes desiderandæ veniunt, quas antiqui artis oratoræ professores, & magistri desiderant in illorum temporum oratoribus; Vt scilicet, non solum legum scientificam non autem merè practicam, & per traditiones, more p̄fectorum peritiam habeant; Sed etiam, ut in historijs, alijsque scientijs, quæ ad Reipublicæ regimē influunt, bene versati sint, ut cum exemplis consimilium casuum, & quandoque cum prudentialibus determinationibus, vel temperamentis alias adhibitis insinuare possint iudicibus, & præsertim summis Magistratibus ea quæ magis congruant. M

Illiudque habent, Romanæ Curiae Aduocati maius onus, cui nō subiacent aliorum Curiarum Aduocati, minusq; subiacent antiquæ Romanæ Reipublicæ Oratores, quod scilicet, non solum legum ciuilium, ac prophanarum historiacum peritiam, ut supra habere cogantur; Ve.

rum etiam illam Canonū, & Conciliorū, & Ecclesiasticę eruditionis; Quinimō etiā aliquā peritiā Theologię dogmaticę, & moralis; Ex ea differentia ratione, alibi quoq; insinuata N; quod scilicet in alijs Curijs, vel Tribunalibus respectiū, de aliquibus causarum generibus tantum ad illum forum pertinentibus agitur; Putatā in foro Episcopali de causis spiritualibus, vel alijs pertinentibus ad forum ecclesiasticum, rare autem sunt causae propriae, quæ in eo agantur ratione personatum ecclesiasticarum non exemptarū; In foro autē seculari tractatur solū causae prophanae, quæ ad illum pertinent; Qui nimō pro moribus regionum, frequentius cause restrinquentur ad tres, vel quatuor species, alijs autem nimium rare sunt.

E contiuerso autem, Curia Romana, dici potest manus, quæ tres gladios eodem tempore tenet, & exercet, ratione scilicet plures enunciatae triplicis personae formalis, quæ in eadem persona materiali Papæ consideratur; Siquidem tanquam Episcopus Vrbis, cum considerabili diæcesi districtus ad quadraginta milia, circum circa, cognoscit per eius officiales, & Tribunalia, omnes causas quæ pertinent ad forum Episcopalem; Tanquam Princeps secularis Vrbis, & Status Ecclesiastici Italici, in quo, ultra Vrbem, quamplures nobiles, & considerabiles ad sunt Ciuitates, multarum grauium litium productiue, ut sunt præsertim Ciuitates Bononiensis, Ferrarensis, Perusina, Firmana, cum ampla eius diæcesi, Rauenbatenis, & aliæ plures, agit causas prophanae, quæ pertinent, ad forum secularis, non minores cuiuslibet secularis principatus, ob alias quoque ditio nem Gallicam Status Aauenionensis.

Et demum, singulariter ad quoscumque alios Principes, ratione pontificiae dignitatis, cognitionem habet omnium causarum, tanm ecclesiasticarum, quæm prophanaarum, quæ pertinent ad utrumque clericum, seculariem, & regularē, absque restrictione exemptorum; Ac vltierius, respectu secularium totius Orbis catholici, cognitionem habet omnium causarum spiritualium, seu ecclesiasticarum, ultra ea quæ concernunt materiam fidei,

& canonizationes vel beatificationes Sæctorum, ac ritus ecclesiasticos; Ideoq; in his omnibus, Aduocatos oportet esse bene versatos; Potissimum quia ob Tribunalium stylum, & præsertim illum Rotæ, in eius rubrica, id magis ex proposito aduertitur O, semper oportet extemporaneè, breuissimo temporis spatio, atq; vt vulgo dicitur, properando, seu cursitando, de iure respondere super omnibus penè materijs utriusque iuris, ac etiam moralis, & quandoque dogmaticæ theologiae.

Atque hinc ( vt pariter alijs insinuatum est, non tamen inopportune repetitur, ) nimium evidens, atque irrisione dignus est error aliquorum exterorum,

21 opinantium, quod professores Curiæ Romanæ, solū calleant ea quæ pertineant ad Ius canonicum, vel ad materias ecclesiasticas pertinentes ad forum ecclesiasticum; Nescitur enim, cum quo imaginabili fundamento vel humano discursu, id opinentur, non reflectendo, quod eadem Curia cognoscit in terminis Iuris communis ciuilis vel feudalis, aut alterius municipalis, omnes causas fori secularis pertinentes ad principatum temporalē, ut supra, ultra illas, etiam prophanas, ac de sui natura fori secularis causas, quæ accidentaliter, ratione personarum, vel Ecclesiistarum, pertineant ad forum ecclesiasticum, per appellationem ab omnibus Orbis catholici Ordinarijs & Metropolitanis, alijsque Praelatis, ac Iudicibus ecclesiasticis.

Quinimō in ipsa Romana Ciuitate, quæ adeò diues est, tantamq; Magnatum & diuitum copiā habet, vnde propterea, grauium litium feracissima est, municipali iure cauetur, ut cum ciuibib potius, quam cum Canonicis legibus, causæ cognosci debeant P; Ideoque prorsus fabulosa est hæc opinatio; Eamdemque fabulam comprobant ad evidentiam tot decisionum Rotæ Romanae volumina, quæ in dies prodeunt.

Debet quoque Aduocatus, alijs animi dotibus esse prædictus, & præsertim illa, summae integritatis, & veritatis, abhorrendo calumnias, & mendacia, siue iniustas lites confouendo, vel nutriendo, ob eius turpe lucrum; Prout reuerā, nimium commendabiliter pro regula frequentior est

est praxis, quoniam, ad instar eorum, quæ agendo de Rotæ auditorio de Iudicibus dicta sunt Q; Aduocati quoque integerim in hoc se gerunt, non solum liberè insinuando clientibus veritatem, ac difficultates, quas habeant in causa, quod in dies practicatur pro nimium commendabili stylo frequentium congressuum seu congregationum, quæ pro causarum directionibus, iuxta earum contingentias & oportunitates habentur in domo antiquioris Aduocati; Sed etiā, totis viribus, cum exactis diligentibus, ac laboribus procurando concordias; Ut enim bene aduertit unus ex artis oratoria magistris, mendax vel dolosus, male que morigeratus orator, non de facili veritatem Iudici suadere poterit. R.

Maior autem, peneque tota doctrina, seu excellentia Aduocati in Curia, consistit in bene scribendo, potius quam in

24 bene orando, ob plures insinuatum stylum, qui est penè generalis collegiorū Tribunalium, & Saerarum Congregationum, non audiendi scilicet Partes in contradictrio, sed per priuatas, & singulares informationes in camera; Atque in illis Tribunalibus, in quibus contradictriorum usus habetur, ut est præsertim illud Auditoris Cameræ, damnabiles potius, et contemptibiles reputantur illi superflui, ac inutiles verbosi apparatus, qui ab aliquibus in existimatione habentur, dum quod breuius, & strictius, eo melius, & commendabilius; Postquam etenim inter causæ Patronos firmatū est factū, super quo, etiā inter classicos Procuratores, nimium rarae sunt disceptationes, vel discordantiae, quæ solum, pro limitatione regulæ, inter Curialium infirmam plebem, siue inter illos, quibus Rabularum forenium nomen

25 meritò congruit, solent esse frequentes; Aduocati, strictè insistunt super conclusionibus iuris, insinuando eas, quæ videantur probabiliores, opiniones; Siue distinguendo, aut declarando conclusiones, vel doctrinas, quæ obstat videantur, ita immorando super earum congrua applicatione; Idque frequentius fit, cum magna urbanitate, & benevolētia, adeo ut fori clamores, ac strepitus non audiantur, sed per speciem familiaris discursus,

vel cōgressus, id sequitur, dum illi iudicio rū strepitus, & clamores, qui per antiquos ac modernos scriptores declamari solēt, audiuntur ( vt dictum est ) in illis publicis audientijs, quas tenent Iudices Tribunali Auditoris Cameræ, & Vicarij, & Capitolijs, super incidentibus, vel super causis brevioribus, occasione lecturæ citationum, super quibus tunc extemporaneè interloquendū est; In ista vero functione nunquam interueniunt Aduocati, minusque classici & qualificati causarum Patroni; Siue isti nimium raro, quando causæ, vel incidentis qualitas ita exigat, dum id explicant, vel peragunt, mediante opera Sollicitatorum, quorum munus, in hoc principaliter versatur, vt infra, siue illorum iuuenum, qui gratia addiscendi praxim, atque se habilitandi ad peragendum munus Aduocati, vel Procuratoris, apud eos versentur.

Hinc proindè, Aduocatorū penè nullę vel nimium rare videtur esse partes orandi, ( comparatiuè ad causas, quas in alijs Tribunalibus tuentes ); Et nihi dominus, quando de his agi contingat, longè diuersus est modernus Romanæ Curie stylus, ab eo, quem habebat eadem Curia antiqua, sub Republica, vel Aoren-tissimo, adeoque potenti Imperio prophano; Tunc etenim orandum erat Populo, vel Senatu quorum uterque saltim pro maiori parte erat legum ignarus, neq; merita causarum scientificè, & per regulas iuris, prævio maturo studio, iudicaturus erat, ideoque unum, vel alterum, siue utrumque cum arte oratoria, in genere sua siuo, vel demonstratio, captare, atq; in suam sententiam trahere oportebat; Ac propterea verbosi apparatus, ac etiam replicatae eorumdem motiuorum exaggerationes, aliæque oratoria artis regulæ, congruè adhibebantur, etiā circa motus, vel gestus corporis, & quandoque oportune, risus, vel planctus, ac lamentationes adhibendo, ad auditorum benevolentiam captandam, siue ad promouendum in eis pietatem, vel respectu rigorem, & indignationem, iuxta oportunitatem, vel finem oratoris, ac iuxta illum stylum, quem hodie respectu adhibent Concionatores, & Comici;

Ac propterea etiam hodiè, quando cum imperitis pectoralibus iudicibus agatur, iste stylus adhibendus est, atque commēdabilis, imò necessarius videtur.

Damnabilis verò, imò contemptibilis, censendus est apud iudices literatos, ac professores iuris, qui per regulas iuridicas, præcedente, vel subsequente formaliter studio, causas decidere debent; Isto enim casu, Aduocatus, omnino effugere debet superflua verbositates, atque strictè, & breuiter insistere, super illis solidis motiis, ad quæ in substantia, causæ pondus, vel cardo difficultatis restringatur, vt ita ea, quæ deducuntur, aliquam faciant impressionem, vt potè futuri studij, præparatoriam, dum aliàs verbosæ superfluitates, iudicis intellectum, potius offuscare solent, vt neque bene percipiāt, vel retineat ea, quæ verè oportuna sint.

Adaptabile ad id videtur practicum exemplum, vel simile, quod habemus circa merita, & virtutes, vel miracula aliquius serui Dei; Quando etenim de his agendum est in pergamo, vel in academica, concionando, vel orando in laudem illius serui Dei, cum eo stylo quod panegyricus dicitur, ad incitandū populi devotionē, tūc cū regulis artis oratoriae præijs, apparatus, virtutes, & miracula, exornentur, magnificantur, ac repetuntur, & inculcantur, incipiendo à leuioribus, vt oratio crescat, atque orationem adiuuando cum corporis actibus, ac gestibus; Sed si hunc stylum teneret Aduocatus informando Sacram Congregacionem Rituum, ad effectum docendi quod ille seruus Dei canonizatione, vel cultus sit dignus, vtique irrideri mereretur atq; in eius professione ignarus, reputari dum strictè, beneque concludenter docere debet de sufficientibus probationibus, ac de ijs, quæ iudices ad id mouere debent, recēcando superflua quæ potius nocent.

Informatio etenim in voce apud iudices literatos, qui cum maturo studio per tramites iuris iudicaturi sunt, commēstioni, seū dentium masticationi, compārandā videtur, vt ita melius, ac facilius à stomacho fiat digestio, ideoque ille solum modicus, beneque præparatus cibus, in ore apponi debet, quem stomachus digestus est, pro corporis salubris alimonie fine, vel effectu; Insinuando propterea iudici breuiter facti seriem, atque diffi-

cultates, ad quas causa restringatur; Deinde probando suæ intentionis fundamenta, atque reprobando illa contradictoris, familiari tamē, ac urbano more; Atque hinc irrisione digni censendi sunt illi alicuius politioris literaturæ professores, vel attinēti qui antiquorū scriptorum traditiones super lachrimis, suspīrijs, risib; alijsque gestibus conductiis Aduocatorum, & oratorum, nunc applicare satagant nostrorum temporum Aduocatis, cū in Curia Romana id ab aquila penitus recesserit, ac propterea loquuntur extra propositum.

Quoverò ad aliud munus scribendi, (in quo verè maiores, peneq; totales Ad-

28 uocatorum Curiae partes versantur) Pariter damnabiles & contemptibiles reputantur superflui apparatus, vel præfationes, quoniam verus, & commendabili scribendi modus est (præsupposita facti serie iam per causæ Patronum in eius informatione enarrata), strictè, & cathegoricè, quod brevius, eo melius & commendabilius, fundare de iure intentionem clientis, atque occurrere difficultibus, quas alterius Partis motiva inferre possint, quando certò sciatur, quod alterius Partis defensores illa promovere, seū deducere debeant, dum aliàs error est, præuentivè respondere formidatis obiectis, cum ita sit excitare dormientem, atq; sèpius, magis placent obiecta quā responsiones.

Diuersusque esse debet forensis scribendi stylus ab eo, quem artis oratoriae regulæ docent, vt s. à leuioribus inchoandum sit, ad hoc vt crescat oratio, atque in fine sit melior, & claudatur cum solidioribus, magisque efficacibus motiis; Id enim congruum est oratori, qui in genere suasiuo, vel demonstratiuo, cum sola verborum, seū rationis efficacia, imperitos auditores suadere, atque in suam sententiam trahere debet, vt faciunt Cōcio- natores, & Comici, seū militiae Duces; Secùs autē, cum iudicibus peritis, et iuris Professloribus, quibus, initio informatiōnis, atque, vt vulgo dicitur, in frontispicio, magis solida, & stringentia motiua, insinuanda sunt, vt ita bonum causæ iudicium, vel conceptum efformare incipient; Et nè aliàs, è conuerso, ex debili bus, vel fallacibus motiuis, finistram efformando opinionem, negligant meliora, & solidiora fundamenta, quæ subiçtantur;

Siuè

Siuè quod intellectus, à prævia lectura, inutili fastiditus, vel defatigatus, non ita bene vtilia percipiat; Atq; ad istum quoq; effectum, clarus quidem, sed quo magis fieri potest, brevis, & laconicus stylus est adhibendus.

Equiparant etenim aliqui (& bene quidem) oratorem, vel scriptorē, illi debitori, vel ministro, qui aliquam pecunia summam, creditori, vel domino est soluturus, quoniam eam in parvo sacculo auream, vel saltim argenteam, melius soluet, quam æneam in magna quantitate, quamvis vtraque species, eundem habeat valorem, eamdemque importet summam, immò minus estimatur, dum prolixus, ac verbosus stylus, aliud non importat, nisi soluere in ære, illam pecuniam, quæ in auro, brevius, ac melius solui potest; Ideoque Romanæ Curiae stylum studendi breuitati, referunt etiam antiqui scriptores S; Quinimmò quod mirum est, etiam vbi stylus prolixus est in vsu aliqui inculcant breuitatem. S

Referunt hanc breuitatem aliqui exteri, Curiae stylo diuidendi causarum disputationes in plures punctos, super quo 32 rum singulis, distinctè scribatur; Verum ista opinio, vel credulitas, germana est alterius suprainsinuatæ, super imperitia Turis ciuilis, ac rerum prophanarum, ita in sancta simplicitate procedendo cum antiquis traditionibus illorum temporū, in quibus id in vsu erat; Siquidè à tempore notabili citrà, & fortè totius currentis saeculi, in defuetudinem id abiit, dum in unica disputatione, de tota causa, omnibusque eius punctis agitur, vt supra agendo de Rotæ Auditorio aduertitur. V

Bene verum, quod (deplorabiliter quidem), etiam in Curia, istum adeò bonum, 33 adeòque commendabilem stylum scribendi, strictè, & cathegoricè, corrumperet satagunt aliqui inepti, vereque contemptibiles Pragmatici, qui facultatis scientiam non habentes per causas, & per principia, sed per solas traditiones, vel transcriptiones eorum, quæ legunt in repertorijs, chartas replent inutilibus allegationibus, ac generalibus regulis, & axiomatibus, frequenter negligendo illa substantialia motiua, in quibus causæ pō-

dus consistat, siue super eis nimiū parcè agendo, atq; ita abundando in superfluis, & deficiendo in necessarijs; Res quidem omnino damnanda, & contemnda.

In hoc etenim homines distinguuntur à brutis, quod homines, id quod agunt, ex motu rationis, siue propriè aliquem finem agunt, dum omnis agens agit propter finem; Siue in hoc distinguuntur sapientes, ab insipientibus, ac literati a reliquo vulgo ignaro, vt illi nō ex solis traditionibus, vel ex solo naturali instinctu, sed ex prudenti, beneque regulato discursu, suas metiantur operationes; Non videtur etenim qualē rationem, qualē finem habeat iste ineptissimus abusus, ignaro leguleico vulgo placitus, inutiliter replendi chartas, cum superfluis allegationibus, super illis principijs, ac propositionibus, quæ hodiè planæ sunt, nullamque patiuntur difficultatem, sed rectè presupponi possunt; Ideoque scribendum est, insistendo principaliter super applicatione ad casum controversiæ, et super qua applicatione rotus est pondus, generalitates presupponendo.

Prouenit hic error ex eo quod imitari volumus aliquos antiquiores scriptores, res decursi saeculi, vel etiam currentis, circa eius initia, qui cum elaborato stylo (laudabiliter quidem) curarunt aliquos articulos, & questiones plenè, cum auctoritatibus, & rationibus comprobare, ac disputare, & examinare; Manifestus verò est error modernorum scriptorum, eundem adhibere stylum, ob temporum, ac rationis diueritatem.

Ex aliquibus etenim, gloſae, Bartoli, Baldi, Innocen. & Io. Andree, aliorumque antiquorum scriptorum, siue à casu, siue serio illæ prodierint, multæ inter alios scriptores posteriores, & præsertim retroacti saeculi irre pferunt quæstiones, in quibus DD. in classes factionario more, diuisi fuerunt; Vnde vnam; Alijs verò alteram sequentibus opinionem, adeòvt incertum adhuc esset, quæ nam opiniò, vior censenda esset, atque in iudicando, vel consulendo tenenda; Tūc etenim (rationabiliter quidem), oportebat hunc adhibere stylum, cumulandi diligenter, & cum summo labore, auctoriates

tates, quæ hinc inde confluant, ad effectum inspiendi quænam magis communis esset, maiorisque sequacium calculo corroborata, dum quælibet factio, vel classis eius opinionem esse communem, vel magis communem autumare solebat; Ideoque audiebantur ineptæ de communi, & magis communi, vel communissima, siue de communi contra communem, ac propter ea irrepsit axiomam circa improbum legistarum laborem.

Istoque rerum statu retento, illa præfertim assumi solebat problematica quæstio, an auctoritatibus potius, vel rationibus esset deferendum, atq; istam postrem partem sequi prouerbantur magna Tribunalia, & præsertim Rota X; Hodiè vero, haec omnia penè abolita sunt, quoniam (ut alibi plures aduertitur) omnes illæ, quæ nodosæ, atq; inuolutæ quæstiones erant apud antiquiores, iam sunt sopitæ, dum una ex opinionibus, per moderniores, vel per Tribunalia, respectuè, firmiter constituta est pro regula altera vero, pro limitatione; Et conuenienter, contingente casu, nulla suppetit necessitas assumendi disputationem in puncto iuris, quænam opinio sit verior, vel magis communis, seu magis rationabilis, vt nostris maioribus disputâdi onus incubebat; Ideoq; meritò illi, numericas classes, ac litanias retexere cogebantur; Id autem hodiè super eisdem penitus ineptum est, & incongruum, quoniam disputationes restringuntur ad factum, siue ad applicationem, an scilicet, ex illius casus circūstantijs, locum potius habeat regula, vel respectuè limitatio.

Vt puta; In successionibus individualibus Regnorum, vel principatum, & leudorum, siue primogenitorum, vel maioratum; Apud antiquiores adeò inuoluta erat quæstio, inter patruum secundogenitum, & ne potè ex primogenito, adeòvt aliqui crediderint, vt cū singulari certamine, vel cū iudicio sortis, ea decidenda esset, multas inuoluendo desuper simplicitates; Siue an filij in conditione positi cœsentur vocati; Aut an sub nomine filiorum veniant nepotes, & descendentes; Vel an masculinum cōcipiat fœminum; Siue, an attendi debeat proximitas grauantis, vel grauati; Aut

an inter patruellos, successio esse debeat in stirpes, vel in capita; Vel an Trebelliana possit prohiberi filii primi gradus, cū multis similibus inuolutissimis quæstionibus; Omnes autem istæ & similes hodie explanatae sunt, atq; in abstracto, disputatione indigne reputantur, dum ea solum cadit in concreto; Igitur, regulæ vel respectuè limitationes, quæ in ea regione, vel in eo Tribunali extra controvërsiam hodie firmatae sunt, atq; receptæ, præsupponendæ veniunt, manifestaq; ineptia est, irratione quidem digna, chartas allegationibus desuper implere, & præser tim in magnis Civitatibus, vel Tribunalibus respectuè; Sed eis præsuppositis, strictè insistendum est, in exclusione, vel inclusione limitationis, ob illiuscasus particulares circūstantias.

Maior quoque ineptia est, nimirumque naufragiatus stylus ille cumulandi allegationes, atque cum eis inaniter chartas replendi, super illis axiomatibus, vel principijs, quæ sint notoria, nullamque recipiat alterius Partis contradictionē; Puta quod possessori anteriori, competit manutentio; Vel quod fideicommissario, docto de fideicommissi existentia, & pertinentia, ac legitimatione personæ, & identitate honorum, & incompetentia detractionis danda sit immisso; Siue quod in prophanis, data relevantia, neganda non sit remissoria in prima instâtia; Aut quod præsentato ab omnibus patronis, vel à maiori parte, constito de iurepatronatus existentia, & pertinentia, & capacitate præsentati, danda sit institutio; Vel quod literæ Apostolicæ iustificatae, sint exequendæ, cum similibus, Super his etenim, vtiq; fatuitati tribuendum videatur, auctoritates congerere; Ad instar illius, qui sequitur aliquo casu in meridie, cū magno labore, ac sūptu, multos curat testes inducere ad probandum quod runc esset de die, & non de nocte; Et per consequens non videtur quænam sit excogitabilis ratio, vel finis, ad quem ista ineptia exerceatur.

Tunc itaque iste labor oportunus est, nimirumque commendabilis, atque scriptoris eruditio probat, quando agatur de articulo adhuc dubio, qui existat in illis terminis, in quibus apud antiquio-

tiquiores, erant superius enunciatae, ac similes quæstiones.

Longè autem commendabilius, quando scribens, agnoscendo quod illa opinio, quæ in loco vigeat, erronea, maleq; fundata sit, solumque recepta ex abuso pragmaticorum procedendi more pecudum, vel auium, assumat opus, illam impugnandi, ac ostendendi errores, siue illum declarandi; Tunc etenim si haberi possunt multæ auctoritates graues, quæ id comprobent, expedit eas perquirere, & cumulare, non autem procedere cum solis ratiocinijs, cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Sed ea cessante, non videtur, ad quid id deseruiat, & cui fundamento, vel rationi innixi sint illi, qui hunc naufragiatum stylum adhibent; Nisi dicatur, quod sint ex illis ineptis pictoribus, qui nescientes corpus, eiusque membra bene delineare, & efformare, toti insistunt in magna colorū congerie super vestibus, alijsq; inutilibus ornamentijs, quæ tabulæ potius deturpant, eamq; apud peritos reddunt contemptibilem; Bene verum quod pulchra videbitur pueris, & mulieribus plebeis, vel reliquo penitus ignaro vulgo &c.; Ita à pari iste ignorabilis modus scribendi, referendus est stylo plebis, seu vulgi leguleici; ideoq; meritò plebi seu vulgo intimo, & pedaneo placet, quia stylis forte alterius adhuc altioris eorum intellectus est incapax.

Et nihilominus, etiam in casibus, in quibus hunc laborem adhibere congruat ille adhibendus est, cum illa scriptorū segregatio, vel ponderatione, de qua habetur supra in Rubrica Rotæ, Y occasione agendi de idea Iudicis, cum eadem, quæ de Iudice ibi dicuntur, scriptori, vel Consulenti congruant, ibique videri poterunt.

In reliquis etenim, vbi scriptor, methodo dicere, ac altè loquatur, plures præsupponendo conclusiones, vel regulas, ex quibus ad aliquam inferat consequentiā, vel conclusionem, vtiq; (citra manifestā ineptiam) opinandum nō est, quod ille non habeat notitiā illarū auctoritatum, quæ desuper habeantur, ob tā magnum copiā Collectorū, quam hodie habemus, adeòvt etiā tyronibus, qui vix principia calleant,

nimirum facile redditum sit, magnas facere confarcinationes; Ideoq; iste stylus est infimi vulgi, ieu inepta plebis leguleiorum, quorum nomen, etiam apud primos legum, vel artis oratoriae patres, & magistros, in vsu contemptibile semper fuisse habemus scriptum. Z

Dicere solent Aliqui, quod huiusmodi cumulus allegationum, atq; articuli plena reassumptio, prodesse possunt pro imperitis iudicibus, præsertim parvorum locorum, cum quibus præsupposita fieri nō possunt neq; ego improbo stylum quando ista necessitas cogat; Verum id in maguarum Civitatum, & Tribunalium Iudicibus, non est supponendum; Alias enim dicendum est quod orator debeat multas facere digressiones docendo etiam regulas grammaticæ, eo quia multi adesse possunt audifores, qui lingua latina non intelligent; Et tamē est iste clarus error, ac in epistola manifesta, quoniam supponendū est, quod oratio fiat ijs, qui grammaticæ regulas calleant, ita à pari.

Studendum itaque est principaliter congruae applicationi, pro illius individui casus particularibus circumstantijs, atque pro ipso decidendo; Ad instar medicorum, qui euocari ad infirmum curandum, vacare non debent disputationi scholasticarum quæstionum, siue longis inutilibus apparatus, vel discursibus academicis, super propositionibus generalibus; Sed eas, ut potè notorias, & certas præsupponendo, incumbere debent congruae applicationi, ad effectum curandi illum infirmum bene perquirendo causam morbi, ac etiam ponderando illius præcisi corporis habitū, ac vires, ex quibus iudicare debebūt, an congruant illa remedia, quæ doceant regulæ generales artis, atque alias erunt imperiti, & contemptibiles medici, curationi infirmi non apti; Et hic est casus, etiam scriptorum seu Consulentium pro causarum oportunitate.

Magnas item quæstiones disputant aliqui Canonistæ, & Morales, super munc. 42 te Aduocatorum, an scilicet, & quando liceat illas causas tueri, quæ, pro eorum opinione, iniusta videantur, adeòvt, si ipsi essent Iudices, sententiarent fauorefa-

Y. tit. de emphiteus: disc. 4. & alibi pluries, & supra dicto disc. 32.

Y. supra dicto disc. 32.

Z. Cicero Seneca, & alij quos refert Quintilian. d. 6. lib. 12.

alterius Partis; In hoc autem, ac similibus, quæ internum iurū concernunt, nullæ sunt meæ partes agendi, quoniam, ex ijs quæ plures alibi insinuata sunt viro forensi versato in ijs, quæ externum forum concernunt, incongruum est, hoc minus assumendi quæstiones fori interni, vi potè extra propriam sphaeram, vtè conuerso incongruum est professoribus fori interni se ingerere in ijs, quæ ad externum pertinent. X.

Relinquendo itaque integrum locutus veritati, discursuē tantum, siue ad quan-dam propriam satisfactionem (quatenus pertinet ad Aduocatos Curiae Romane de quibus agitur) videtur quod manifesto æquiuoco laborent Scriptores illi, qui non distinguendo regiones, vel earum dauerios mores, & styllos, generaliter, ac indefinitè loquuntur de Aduocatis, innixi auctoritatibus eorum, qui iuxta propriarum regionum mores, ac styllos, illos supponunt Aduocatos, qui etiam acta, & processus ordinant, atque eorum quæ facti sunt, curam habent, habendo Procuratorem tanquam subordinatum, & interiorē ministrum practicum, siue exequitorē eorum, quæ ab Aduocato demādentur, iuxta eam proportionem, quæ in Curia habetur, inter Procuratores, & Solicitatores, adeōvt Aduocato bene inton-scant ea, quæ facti sunt, atque ad ipsum pertineat, exceptiones proponere, ad subterfugia, & dilationes, quæ calumpniam redolere valcent.

In ijs etenim, quæ cōsistunt in facto, cuius veritas est certa, & invariabilis, huiusmodi Scriptores bene loquuntur, quoniā tueri causam iniustam de facto, redolet per nece sīe fomentum calumniarum, ac etiam mendacij, quod est de genere majorum, atq; emper, & intrinsecè est malū, 43 ideoque iniustè defendit ille debitor, vel rei alienæ illicitus detentor, qui verum creditorem, vel rei dominum defatigare curer, cum calumnijs, & cum subterfugij, vel cum fallis probationibus.

Id autem penitus incongruum est illis Curiae Romanae Aduocatis, qui (vt decet) 44 superius explicatum puri iuris Consulti munus gerant, respondendo de iure tantum, super ijs, quæ in facto, per causæ Pa-

tronum præsupponuntur, cum bona fide, credēdo, quod illa vera sint, adeōvt, cau-sæ iustitia, vel iniustitia, pendeat ab articulo iuris dubio, siue dubia applicatio-ne regularum iuris, ad illam facti specie; Atque tunc solum (pro meo iudicio) istis Aduocatis, præmissæ dubitationes benè congruere videntur, quando scilicet agatur de illis, (nimium tamen raris) casibus, in quibus, agatur de re, in iure clara, & certa, verū index adeō imperitus esset, vt decipi valeat, siue altera Pars de fatigari, cum propositionibus positiuē falsis, vel certè reprobatis, aut cum alijs malitiosis fallacijs, quas index, vel alterius Partis parū peritus defensor non cognoscat, cum tūc pariter intrare videatur eadem ratio doli, ac mendacij, siue calumnia, vt in ijs quæ facti sunt, habetur.

Vbi verò casset ista circumstantia, quia nempè agatur de puncto iuris am-biguo, & disputabili, vt pro frequentiori contingentia praxis docet in classicis Curiae Aduocatis, dum isti assimi non solent in causis planis, sed solum in ambiguis, & quando causæ Patronus agnoscat quod eius vires non sufficient, adeōvt frequentius Aduocati euocari soleant, eo modo quo medici extraordina-rij alicuius maioris nominis, & existima-tionis, euocantur per medicum ordinariū, quando videat infirmum in aliquo periculo statu; Et tunc, non videtur quomodo ad proxim reduci valeant ea, quæ per dictos professores interni fori desuper cum consuetis metaphysicis, vel idealibus discursibus in abstracto pon-derari soleant, circa propriam opinionem vel conscientiam; Tum quia Aduocati non iudicant, neque cogunt Iudicem ad ita iudicandum, sed solum insinuant motiuia comprobata cum auctoritatibus, & doctrinis, quæ habentur in libris impres-sis, ideoque de facili videri possunt, ea-rumque fallacia dignosci; Tum etiam quia, in magnis Ciuitatibus, & Tribuna-libus, adeōt copia Aduocatorum, literatorum, qui cōuerso per alteram Par-tē assumpti, id detegere possunt; Ac etiā ipsi iudices supponēdi sūt periti, vel quod peritos habeant assessores, veladiutores.

Magis autem ex eo, quod quotidiana

pra-

Y. sub ijs de usur. difō. 1. & 2. & alibi plus.

praxis docet, vt in ambiguis articulis iu-ris, siue in ambiguis applicationibus, ob ingeniorum varietatem, id quod vni vi-detur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integratatis, videatur nigrum; Quinim-mò vt in eodem Tribunal, ex eisdem, motiuis, non immutato facto, plures re-tractentur resolutiones, vel sententiæ Z; Vndē propterea frequens praxis docet, quod conuocato congressu plurium insi-gnium, & primi nominis Aduocatorum, pro soia veritate concludatur causam esse in tuto, & tamen diuersus sit intelix euentus; Et è cōuerso concludatur quod causa sit nimium periculosa, & tamen sit facilis, & felix victoria, vt præsertim in quaestionebus ambiguæ voluntatis, mor-tuorum, vel etiam viuentium, quotidiana experientia probat; Adeōvt stulti, prō meo sensu, reputari mereantur illi Aduo-cati, vel Professores, qui tutè, atq; constan-ter, loquuntur de iustitia, vel iniustitia, causarum, quarum resolutio, ab articulis iuris controuersis, fortius verò, à dubia-applicatione decisionem expectat.

Item quia magnum resultaret præiudicium Partibus, vt Aduocati postquam assumpti sunt, atq; de causæ meritis sunt instruti, ob eorum diuersam opinio-nem, deberent causæ defensionē deserere, quoniam ita esset pandere secreta causæ, illamque declarare iniustum, antequām iudex id agat; Et tamen potest ipse decipi, vt frequentissima praxis docet; Et in summa esset res omnino impracti-cabilis; Ideōq; libenter ab istis scriptori-bus audirem, quis nam sit ille, qui credat istam veritatem ita cognoscere.

Illud autem onus, Aduocatis, alijsque Professoribus, incumbere pro meo iudi-cio videtur, vt consulti pro veritate, illā 45 sincerè, & candidè dicant, eo modo quo eam ex proprio sensu, vel opinione cre-dant; Siue vt assumpti ad causæ defensionem, proprios sensus, propriasq; difficul-tates clienti aperiant, vt ita rebus suis cō-sulat, omnino abhorrendo stylum illorū, qui turpis lucri gratia, atque (vt vulgo dicitur) nē pipiones à columbaria expel-

Z. in omnibus materijs, & præsertim tit. de fideicommiss. disc. 179.

lantur, omnes asserūt causas bonas, & iu-stas, adhibendo illud nimiū dñabile di-ctū, vt nulla sit causa mala, quā bonus Ad-uocatus, non possit facere bonam; Ac etiā mea fuit consuetudo in paruis locis, at-que apud pedaneos iudices, apud quos auctoritas scribentis impressionem face-re possit, nunquam scribendi, nisi pro ve ritate; Quæ tamen ita obiter, & discursi-vè insinuata sint, nihil pro foro interno firmando, cum meum non sit assumere quæstiones opinionis probabilis, vel probabilitatis de qua videant ij ad quos pertinet. A

Problematica item est quæstio, an plu-ribus Aduocatis in eadē causa scribenti-bus, congruat necnè, omnes eorum in-46 formationes, reducere in vnum com-pendium, quod sub restrictus vocabulo, in Curia explicatur, cum omnium sub-scriptionibus, iuxta vsum, qui antiqui-tus magis rarus, hodiè, verò, ab aliquo moderno tempore nimium frequens in-Curia videtur; Aliqui siquidem id com-mendant, nedum ob maiorem iudicū commoditatem, & ne fastidiantur lectu-ra tot informationum, quæ contineant idem, vndē propterea remane videtur superfluus labor; Tum etiam, ob causarū seruitium, quod scilicet pro consueta in-ingeniorū diuersitate, aliqui Aduocati in-sistere magis soleant in certis motiuis quam in alijs; Et alij è conuerso magis in ijs, quæ per alios negligantur; Ita enim consulitur huic inconuenienti, atq; omnia in vna scriptura proponuntur; Idque expediens reputatur, ob eamdem ratio nem varietatis ingeniorum, quæ in iudi-cibus quoque contingit, vndē propterea, quod vni placet, alteri displicer, & è contra.

Ab antiquis enim nostris magistris Aduocati monentur, omnia motiua deducere, etiam ea quæ ipsis levia videan-tur, cum saepius ex eis resolutiones fau-rabiles reportentur, ijs negligitis, quæ ipsis solida, ac meliora credant, iuxta alias in-sinuatum exemplum dapiferi, qui non illos cibos tantum, qui sibi boni videan-tur,

P. 2. Relat. H h A. de ista quæstione Fagnan. in cap. nōe innita-ris de constitutionibus ex nu. 381. del Be-ne oper. moral. de conscientia opinante dubitat. 4. Boſſ. oper. moral. tom. I. ex num. 738.

tur, apponere debet in mensa conuiuij, in quo multi accumbant, sed debet apponere omnes illas ciborum species, quæ haberi possunt, ob gustuum, & stomachorum diuersitatem, dum pluribus Aduocatis in causa scribentibus, iudices ex genio, vel casu, vnius informationis lectura contenti esse solent, supponendo quod alij eadem dicant, & consequenter non sident alia motiva.

Alij vero è conuerso id non laudant, nisi in aliquibus casibus nimium raro contingilibus, in quibus cause qualitas, ex necessitate, ob multiplicitatem motiuorum, quamvis laconicus adhibetur stylus, informationes prolixas exigit; Vbi vero pro frequentiori contingentia, (vt decet) non corrumpatur, optimus, & nunquā fatis laudatus antiquus Curiæ stylus, breuis, ac strictus ad pūctū abhorrendo superfluitates vt supra, tunc damnabile potius id reputant; Vnde propterea ab ipsis met primis temporibus, in quibus Curiam practicare cœpi, ac semper successivè, expertus sum quod iste fuit sensus magis communis Aduocatorum, seniorum, & primi ordinis, ex triplici ratione; Primo nemp̄, quia frequentius, in causis præsertim grauibus, pro quarum directione, iuxta superius insinuatum commendabilem stylum, haberí solent congressus, seu congregations, vel ob præuias eiusdem cause disputationes in alia instantia coram Auditore Cameræ, vel alio iudice, omnia motua seu merita, omnesque doctrinæ, seu auctoritates, omnibus pariformiter innotescunt; Et tamē, \*inter plures in dies experimus varios scribendi modos, quod scilicet Alij sunt boni, & excellentes scriptores; Et è conuerso Alij mali, & inepti, dum vis est immeliori, vel peiori stylo; Vt in aliarum literarum professoribus, & præsertim in historicis, vel chronicis, aut in scriptoribus epistolarum familiarium, qui vulgo secretarij appellantur, quotidiana praxis docet, quoniam pluribus easdem facientibus rerum enarrationes, unus bene, & excellenter; Alter vero male, & insipide, id explicat; Ad instar plurium coquorum, qui easdem ciborum species diuersimodè condunt; Siue pluriū pictorum, qui easdem figuræ, super eodem individuo modo, in diuersis tabulis pingunt, cum similibus, quoniam vis est in stylo, seu in-

modo dicendi, cum maiori vel minori spiritu, & elegantiæ, vnde maiorem, vel minorem faciant impressionem; Et per consequens improprium videtur, quod si plures pictores, diuersas tabulas, super eadem figura conficerint, melius, vel detrius explicantes desideratam imaginem, vt committi debeat vni iuniori, qui fortè minorē praxim vel peritiā habeat, quod ex omnibus, vnam efformet tabulam publicè exponendam, quoniam in substantia erit pictura vnius iuuenis, iuxta eius pingendi, seu delineandi modum, ita obscuratis tabulis pictorum excellentium.

Secundò quia, cum nemo sit qui ingenio cedere velit, omniq; æuo, amor, ac existimatio sui ipsius supra alios, magnā sē perhabuerint dominationē, iuxta vulgare exēplū symiæ, cui proprij symioli cunctis animalibus pulchriores videntur; Hinc sequitur quod quilibet ex pluribus scribētibus, ambit, atq; inculcat, vt eius motua, eo modo, quo ab ipso deducta sunt, reportētur, ægrè terendo quod aliter fiat, vnde propterea compendij extensor, vt omnibus satisfaciat, cogitur cōponere corpus in forme cōtra ordinem symmetricum, atq; vt vulgo in Curiæ dici solet, informatio continet quandā malè ordinatā cōsarcinationē quæ vulgo *Saliccia* nuncupatur.

Et tertio fortius, quoniam in operibus ingenij, maior stimulus est ille ambitionis, & æmulationis, quod scilicet in concursu plurium idem opus componentiū, quilibet studeat, ita perfectè, ac benè illud agere, vt plausum maiorem reportet, Idq; præsertim in Aduocatis iuuenibus commendabiliter cordi esse solet ac debet, vnde propterea acuitur ingenium, longeque maior adhibetur applicatio; Atq; id non solum influit in priuatam illius cause utilitatem, sed etiam in bonum publicum, quod scilicet ita, ex continua- tis actibus, fit habitus bonus, sive plures efficiuntur excellentes professores; E conuerso autem, vbi sciatur, vel stante stylo, supponatur, quod faciendus sit restrictus, tunc langescit ingenium, atq; cessat ista causa generosæ excitationis, spirituum; Ex his itaque ista posterior opinio, melioribus reputari solet fundamen- tis innixa, quandoque pro regula teneri debeat negatiua, quandoq; pro cause qualitate limitanda, sed raro.

Istam vero necessitatem, seu consuetudinem

dinem, produxit fortè, aliquorū moder- norum scribentium abusus, corrumpēdo adeo excellentem Curiæ stylum, atq; amplectendo stylū exterum ineptum, ac dā- nabilem, replendi chartas superfluitati- bus; Ac propterea, error, errores generat, atque multiplicat, quoniam si scriberetur (vt decet) iuxta stylum Curiæ, tunc ista necessitas non adesset.

Non desunt tamen, qui fortè non improbabiliter hunc abusum referunt mo- derniori diuerso stylo Rota in decisio- num æditione, ob axiomam Regis ad exem- plum &c. vt superius quoque, agendo de eo Tribunal aduertitur B; Quoniam si in decisionibus adhiberetur (vt adhibendus esset) ille stylus magistralis, qui a deo magno Tribunal congruit, præsupponendi scilicet, iam notas, & vulgares regulares, & conclusiones, neglecto plebeo stylo, illas exornandi cum super- fluis allegationibus, strictèque im- morandi, more magistri, non autem discipuli, vel tyronis cum rationibus, & auctoritatibus, in solis motiuis, in quibus consistat causa pōdus, & quæ fuerint causa resolutionis; Ita quoque edocerentur Aduocati, cum eodem stylo scribere strictè super eo punto, in quo difficultas resideat; Id autem ex bono ze- lo, plures insinuare, atq; inculcare nun- quā superfluum videtur.

Honorarium Aduocatorum, ex anti- qua Curiæ consuetudine, certam, ac vni- 47. formem habet taxam, quod scilicet sine distinctione causarum, sive magnæ, sive paruæ sint, nulla ratione habita earum valoris, pro qualibet functione in scriptis, sive sit prima, & magis elaborata infor- matio ad causam, sive sit breuis respon- sio, vel replicatio; Ac etiam pro in- formatione in voce, sive sit vnius Iudi- cis, sive plurium eadem die, & in ea- dem causa, ac sive in contradictorio, sive in priuata informatione absque contra- dictore, in camera, idem est præmium, iuliorum scilicet vigintiquatuor, pro magis communi cōsuetudine, & aliquando pro causarum, vel clientum aliqua ma- gis conspicua qualitate, augeri solet, siveque ad summam iuliorum triginta, si-

ue duorum scutorum auri.

Si vero sint consilia, vel discursus pro veritate, vel pro directione cause quæ in- stituta, vel instituenda sit, tūc honorariū est duplicatum, quoniam licet etiam sit exiguum, attamen intrat eadem ratio compensationis cum futuro cause pro- gressu; Vbi vero agitur de consilijs extra Curiā, in causis, in quibus non intret di- cta ratio compensationis, tūc debet esse maius, & minus pro causarum qualitate; atq; requirenti discretionem; Vbi tamen indiscretio adsit, adhuc eadem adhibetur diligentia, neque fiunt mecanicae repre- alie vel petitiones.

Iustum autem stylum, à quampluribus prudentibus clientibus illarum partium, in quibus ille non vigeat, vsque ad syde- ra commendari, pluries, ac pluries exper- tus sum, cum ita eradicetur occasio malæ satisfactionis inter Aduocatum, & clien- tem, dum iste scit quid dare debeat, & il- le quid recipere; Et quamvis aliquibus, primò aspectu, taxa exigua videatur, qualitatē operis incongrua, sive indeco- ra, Attamen id clarum continent æquiu- cum, quoniam reflectendo ad multiplici- tatem functionum, & huiusmodi re- cognitionum, earumque cumulum, in- uenietur, quod in causa caru, importet idem, ac illud præmium, quod vna vice, in notabili summa cum maiori displice- tia, & incommode præstet, & quā- doque plus.

Prodij autem ista taxa iuliorum vi- ginti quattuor ex qualitate monetæ au- reæ, quæ antiquitus in Curiæ erat in vlo, illorum scilicet ducatorum auri, qui scuti larghi Solis appellabantur, quoniam pro qualibet functione dabuntur duo duca- ti; Sed quia ob frequentiorem vlo- scutorum breuiorum minoris valoris istius monetæ usus negligi cœpit, ideo- que rara erat, eius tamen valor ob inferius præmium auri importabat, iulios duo- decim, hinc inolevit vlo dandi æquiu- lentiam in magis currenti moneta ar- gentea. C

Est quoque problematicum, an dam- nabilis, vel commendabilis censeri de- beat Curiæ stylus, vt idem sit præmium,

P.z Relat. H h 2 in  
C. de hac specie monetæ iii. de benef. disc. 89. tit. de pension. disc. 35. & tit. de cre- dit. disc. 140.

in casu victoriae, ac in altero succumbentia, dum Victoria, nullum aliud (pro frequentiori stylo) praefert primum.

Siquidem pro opinione damnante hunc stylum, vrgit motuum quod ita sub specie premij, Aduocatus fiat diligentior, magisque ingenium acuat; Et conuerso autem pro altera opinione vrgit ratio, quod ita tollitur occasio Aduocatis, ac defensoribus, turpiter agendi, atque curandi, per phas, & nephas, reportare victoria, ex stimulo eius maioris premij, assumendo fortè aliquando potius partis mediatores, vel negotiatoris iudicium, & corruptelam cum iudicibus, & Notariis, vel in obtinendo fauores apud iudices, quam Aduocati in studio, ac defensione causarum per tramites iuris, & iustitiae; Unde propterea lex merito adeo Prohibuit in Aduocatis, & procuratoribus, pacta quotæ litis; Ac etiam ob magna incommoda, quæ litigantibus exinde resultant, dum ob fauorabiles sententias, vel resolutiones, antequam eorum effectum reportent, coguntur istud incommodum de proprio pati, atque frequenter casus praebet, quod exequutio, vel effectus victoriae, nunquam obtineatur, ideoque potius iacturam, & damnum de proprio tentiunt, eisque magis expeditis let, illam non reportasse, sed passos esse succumbentiam, istaque posterior pars est melior.

Quamvis item, super pactis quotæ litis, à lege prohibitis, DD. plures tribuat huius prohibitionis moderationes, & præsertim ubi participatio proportionata sit mercedi alias praestandæ, cuius loco succedat, adeo ut conuentio bona fide potius inita dicatur, ad leuamen, ac maiorem commoditatæ clientis; Siue quod alias ex facti circumstantijs, cesset ratio, cui haec legis prohibitio est innixa C; Adhuc tamen in Curia, pro frequentiori praxi, (cum nulla detur regula ab aliqua limitatione immunis) huiusmodi conventiones non audiuntur, & præsertim in Aduocatis, ac etiam in classicis, & qualificatis Procuratoribus; Tum quia, per bannimenta particularia, iuris prohibiti ampliata est, ita tollendo

illas licentias, quas defuper tribuunt DD. subtilitates, vel declarationes; Tum fortius ob communem existimationem, dum speciem infamiae de facto id redoleat; Si enim damnable, atque existimatione præjudiciale reputatur petere, etiam extra iudicium, fortius autem in iudicio, honorarium, ac mercede alijs licitam, & debitam, ut supra, multo magis quando huiusmodi conuentiones fiant.

Iste autem Aduocatorum ordo (ut supra insinuatum est) duplum habet speciem; Vnam scilicet eorum, qui consistoriales dicuntur, atque numeratum Collegium constituunt, cui cooptantur per Papam, cum prouisione in titulum, tanquam per speciem officij vel dignitatis; Et alteram, gener aliter complexiuam omnium aliorum, qui de isto Collegio non sint.

## III.

## De Aduocatis Consistorialibus.

**S**uper origine autem istorum Aduocatorum consistorialium, variæ habentur opiniones; Vna enim opinio credit, id prouenisse ex decreto seu prouisione Benedicti X. de anno 1340, de tempore quo Sedes Apostolica in Avignonensi Civitate residentia habebat D; Ex ea ratione quæ superius assignata est, agendo de Papæ Consistorio E, quod scilicet, cum antiquitus Papa consuetudinem haberet, examinandi, ac decidendi per se ipsum, cum voto Cardinalium grauiores causas in Consistorio, quod propteræ frequentius, bis in hebdomada tenebatur, cum interuentu Aduocatorum, & Procuratorum, etiam in contraditorio; In congruum vero, atque indecorum reputaretur, ut omne personarum genus, in eo adeo qualificato consensu admittetur, ita fortè edocentibus inconvenientibus, quæ exinde ob illos mores, à magis urbanis Romanæ Aulæ diuersos, resultabant; Hinc proinde, ex pontificio decreto prudenter statutum fuit, ut ad ordinum, siue ad informandum in Consistorio, admitti non deberent, nisi illi Aduocati, & Procuratores, qui ad id expressè approbati, ac deputati essent; Adinstar illius

C. De isto pacto Farinacc. quest. 106. Duran. decif. 53. decif. 358. in fin. Peuting. dec. in principio.

D. Camill. Fanuccius de operibus p̄ys Vrbis lib. 2. c. 2. & 3. & ex eo Loter. in typ. col. legij procuratorum.

E. supra disc. 5.

illius prouisionis, quam nostra ætate fecit Tribunal Rotæ, non admittendi ad scribendum in facto, nisi eos, qui prævio examine coram, Decano, ut supra approbati essent, dum etiam in Procuratoribus, ut infra id statutum fuit.

Altera vero opinio, longè antiquior, rem expedit originem, ut scilicet, isti Aduocati consistoriales (nuncupatione tractu temporis immutata) sint illi septem regionarij Vrbis defensores, qui à Diuino Gregorio Magno, pro defensione pauperum, & aliaj personarum, quæ oppressoribus essent subiectæ, instituta tuerunt; Ex pluribus id arguendo; Tum scilicet, ex vocabuli identitate, cum idem importet, defensor, ac Aduocatus; Tum ex altera identitate numeri septenarij; Ac etiam ex identitate munera, dum isti ex debito officij incumbit, pauperes, aliasque miserabiles personas tueri; Plures quoque ponderando prærogatiwas, præfatis antiquis defensoribus competentes, quibus isti Aduocati hodiè potiuntur; Maiorem quoque antiquitatem arguendo ex eo, quod plures enuntiantur personæ, ista qualitate præditæ, prius quam præfatus Benedictus X. sedem Petri occuparet; Et præsertim Summus Pontifex Bonifacius Octavius, ac etiam insignes Iuris Consulti, Lopus, Oldradus, & S. Raimundus, & alij. F.

Quidquid autem sit, de vnius, vel alterius opinionis veritate, atque integrum locum illi relinquendo, cum parum, vel nihil referat, an antiquior, vel recentior sit introduc[t]io; Siue de quo tempore, ad formam collegij numerati redacti sint; Certum est, quod numerus septenarius, notabilem habet antiquitatem, ut potè in primitiva Ecclesia in usu habitus, ut docet septenarius numerus Prothonotario, & Subdiaconorum Apostolicorum; Ac etiam, in moderniori Curia, idem septenarius est numerus Clericorum Cameræ, & Referendariorum; Cumque supernumerariorum usus inualuisse, eo modo, quo in Cameræ Apostolicæ Clericis inualuisse superioris aduertitur F. 2; Hinc

F. Rubens in opusculo Aduocatorum Consistorialium cui redditui defensoris nomen tribuitur cap. 1. Scannarel. de visit. carceratorum lib. 1. c. 3. sect. 2.

F. 2. supra disc. 33.

sub Innocencio Octauo, idem in isto Collegio quoque statutum fuit, quod prius Calistus III, alijque Pontifices in dicto altero Collegio Clericorum Cameræ decreuerant, ut scilicet, ad solos septem numeratos, emolumenta, & munia spectarent, non autem ad alios supra numerum; Isti vero erant varij, dum ex testimonio Prætorum, qui scriperunt sub Paulo tertio, tres tunc erant, istud Collegium ex decem Aduocatis constitutum esse refendo. G.

Hodiè vero (incertum est quo tempore id sequutum sit,) ad instar fortè Collegerum Rotæ, Cameræ, plurimumque aliorum & præsertim illius Prothonotariorum, ex duodecim constitutum est; Eadem tamen in praxi continuante differētia, inter septem antiquiores, & quinque iuniores, quod scilicet, quamvis quoad honorificos tractatus, ac præminentias, in cappella pontificia, alijsque locis, ac etiam circa ius orandi in consistorio; Siue in facultate doctorandi; Vel in capacitate officij Rectoratus studiorum, quod penes idem Collegium, ex Apostolica concessione, titulo oneroso, sub Sexto V. resedit, aliaque iura, vel prærogatiwas, & præminentias, æqualis omnium sit conditio; Attamen quoad participacionem emolumentorum, illa est inæqualis, cum ad solos septem antiquiores pertineat, cum aliqua maiori prærogatiwa eius, qui inter omnes maiori polleat antiquitatem officij, cui, ad instar omnium aliorum collegiorum, Decani vocabulū tribuitur; Dummodo tamen, in eodem statu, vel sphaera Aduocati perseveret; 51 Adeo ut, si diuersum, quamvis maiorem, Prælaturæ, ac etiam Episcopalis, siue Archiepiscopalis, ac etiam Patriarchalis dignitatis gradum assumat, per quam, ubi non agatur de Episcopatu actuali, & re 52 sidentiali, sed solum titulari in partibus infidelium, officium non vacat, sicuti vacat per Episcopatum, cum actuali admistratione, vel per assumptionem ad Cardinalatum, siue ad Auditoratum Rotæ, vel ad Clericatum Cameræ, cum tali casu,

ad

G. Veitr. in praxi lib. 2. cap. 18.

ad instar eorum quæ de Rotæ Auditorio dicta sunt, primus efficiatur secundus, atq; decanatum occupet ille, qui inter simplices Aduocatos sit antiquior; Ex ea congruatione, quod caput esse debet ex ipso corpore, eiusque natura seu qualitate, non autem ex diuersa.

In cooptatione eius, qui ad locum vacantem per Papam assumatur, eadem obseruantur solemnitates adamussim, quæ supra in Rotæ Auditoribus insinuatae sunt H, circa examen, cum duplice disputatione; Vna scilicet publica, & solemnis in Aula magna Palatij Cancellarie, coram Collegio Cardinalium, totaque Curia, ut ibi dictum est, alijs Aduocatis argumenta proponentibus; Et altera priuata, quæ secreta dicitur, præijs quampluribus solemnitatibus, ad instar earum, quæ in altero Rotæ Collegio adhiberi solent, præuioque consimili processu, super vita, moribus, gradu doctoratus in utroque iure, legitimis natalibus, & alijs; Ea addita, per eiusdem Coilegij statuta, quæ circa finē retroacti seculi, de anno 1582 ordinata fuerunt I, ut natales, non solum legitimi, sed etiā nobiles esse debeant; Ex ea tamen nobilitate, quæ legalis dicitur, aperte distinguere nobilem ab ignobili in propria patria, qualis qualis illa sit, adeoūt generosa desiderāda non veniat, ut quotidiana obseruantia docet L.

Locum fixum, ex Apostolicis indultis, eodem modo, quo de Rotæ Auditoribus dictum est, tres obtinent Ciuitates, Bononiensis scilicet, Ferrarensis, & Mediolanensis; Alij verò nouem, pro Papæ arbitrio eliguntur, atq; pro frequētiori contingentia, ex Urbe, alijsque Ciuitatibus, & locis Italicae ditionis temporalis Ecclesiæ afflumuntur, aceriam ex Hetruria.

In hoc autem, maior cernitur ea, quæ agendo de Rotæ Auditorio supra insinuata est, iniuria, quam patiuntur illæ duodecim adeo amplæ, & Romanæ Curiae proficuae prouinciae, ex quibus constituit Regnum Siciliae citra pharū, quod alias Apulię, hodiè verò Neapolitanū dicitur, dum ab eo tempore, in quo quidam

Baldassinus, Neapolitanus huic collegio cooptatus fuit, ratione coadiutoriae, habens alterū Baldassiu successorem, illarum nationum fatum tribuit, ut negligi mererentur; Et forte merito, ita exigentibus rationibus, quæ in eadem Rotæ rubrica insinuatae sunt.

Longè verò maior iniustitia, in isto Collegio elucere videtur, quam in altero Rotæ, quoniam maiora emolumenta, quæ istud substineant, ex duabus potissimum 53 præueniunt causis; Prima neimpè, ex emolumentis, quæ obtainentur pro concessione gradus doctoratus in utroque iure, dum ista facultas, ab antiquo tempore, penes istud Collegium, ex Apostolicis indultis residet M; Et secundò, ex orationibus quæ fiunt in Consistorio, pro concessione pallij, quæ fiat Archiepiscopis; Siquidem maior pars eorum, qui doctoratus lauream ab isto Collegio suscipiunt, est ex illis qui ad id ad Urbem accedunt ex dictis prouincijs, ob quosdam matriculationis rigores, qui citrā omnem rationem adhibentur in doctoratu conferrendo per Collegium Neapolitanum; Adeoūt forte unquam detur casus, quod Mediolanenses, Bononienses, & Ferrarenses, ab isto Collegio dictū gradum suscipiant, quinimò neque Hetrusci vel alij subditi ipsius met Status ecclesiastici, excepta Urbe & locis adiacentibus, ob frequentem Vniuersitatum numerum neimpè; Firmanam; Perusinam; Maceratensem; Vrbinateam; Ferrarensem; Bononiensem; Pisam; Et Senensem; ultrà alias magis remotas; Patauinam; Parmensem; Papiensem; Taurinensem, &c.

Prout etiam, ex Bononiensi, & Mediolanensi Ciuitatibus, vnius tantum respectu palijs emolumentum obtinetur; Ex Ferrarensi verò nullum; E conuerso autem ex dicto Regno, eiusque prouincijs, obtainentur emolumenta vnius, & viginti Archiepiscopatum ibi existentium, adeoūt recte dici valeat, quod pro maiori parte, Collegium ab eo Regno sustentetur; Et tamen in eo locum non habet, ita, (vt dictum est) meritò exigentibus, illarum

H. supra disc. 32.

I. recensentur per Rubrum in dicto opusculo

Aduocatorū Consistorialium cap. I. n. 20.

L. de his speciebus nobilitatis tit. de preemi, nent. disc. 35.

M. dicto opusculo cap. 5.

larum nationum, seu verius Metropolitæ Ciuitatis moribus, ac ventosis applicacionibus in leuitatibus.

Locum habent huiusmodi Aduocati in Cappella pontificia, ac etiam in pontificijs equitationibus solemnis, alijsq; 58 functionibus, more Collegiorum prælatiorum, cum quedam solemni habitu coloris violacei, quem etiam adhibent, in dicta functione publicarum disputacionum, alijsque publicis functionibus, illa præsertim exequiarum generalium, quæ singulis annis, post Kalendas, sunt pro Rotæ Auditoribus, siue exequiarū particularum, singulorum Auditorum, vel Aduocatorum Consistorialium; Aut in festo quod celebrat Collegium Procuratorum ut infra; Vel in apertura Rotæ, ac similibus; Quinimò in quibusdam maioribus solemnitatibus, coronationis Papæ, & Imperatoris, & canonizationis Sanctorum, habent vsum cuiusdam vestis, quæ formam pluialis habet; Atque in ista materia canonizationis Sanctorum, pluribus gaudent prærogatiis; Tum quia, eis tantum conceditur, in publicis Consistorijs, desuper orare in illis spatijs, in 59 quibus sequatur aliquod Papæ otium, ut supra in Consistorijs rubrica aduertitur N; Tum etiam quia, in publica, & solemni functione canonizationis, ad eos, vel eorum aliquos pertinet pariter orare apud Pontificē, atque petere adscriptionem illius serui Dei catalogo Sanctorū, quædā alias prærogatiwas quoq; obtainendo in ista functione, & in altera canonizationis Papæ; Illam quoque valde existimabilem 60 habentes prærogatiuam interueniendi in Concilijs generalibus.

Habitus verò domesticus, & quotidianus, antiquitus, usque ad meam Curiae praxim, erat communis; etiam alijs Aduocatis non consistorialibus, vestis scilicet longæ ad formam togæ, cum quadam cappa perforata, cui mantelloni vocabulum tribuitur, pariter usque ad talos, ad differentiā illius cappe brevioris, vulgo mantellette, quam supra vestem, ad

N. supra disc. 5.

genuagerunt Episcopi, aliquique Praelati, illi præsertim, qui sint simplices Referendarij Signaturæ, absq; alio adiuncto munere, dum, denegato eis usu coloris violetacei, eumdem adhibent colorem nigrum; Ita siquidem habitus erat communis omnibus Aduocatis, tanquam toga doctoralis; Ab aliquo verò moderno tempore, per alios est intermissus; Et merito, cum indecorus vel respectuē incommodus, atq; dispendiosus esset, præsertim iuuenibus, vel ijs, quibus natura, vel fortuna avara esset, circa professionis occupationes, & negotia, vnde propterea, inoleuit in Aduocatis idem usus vestis, & pallij, pariter ad usum togæ, quæ adhibent, Procuratores, & Sollicitatores, ac etiam Medici, aliquique professores, & quorum habitus hodie communis est cum illo Clericorum secularium, qui ab aliquo tempore, ad instar, illum in usu habere cœperunt. O.

Hinc proinde sequutum est, ut iste usus cappe perforatae, seu mantelloni remanserit singularis Aduocatorum Consistorialium; Idque eorum existimationis, apud populum & in aulicis functionibus, nimirum considerable augmentum produxit, dum ita, quandam prælatitiam figuram quodammodo facere videntur; Et quamvis ex Alexandri VII. decreto, iste habitus eis priuatiuē concessus fuerit; Attamen fuit concessio Solis de mense Augusti, dum iam communis usus id produxerat.

Inter Curiales autem, illam quoque ex Sixti V. moderna concessione obtinent prærogatiuam præcedentia, supra alios Aduocatos, adeoūt consistorialis iunior, præcedat seniorem Aduocatum non consistoriale P; In informando autem, ut in Rotæ rubrica aduertitur Q, nulla potiuntur prærogatiua, circa commendabilem ordinem prioritatis temporis; Benè tamen, circa aliquam magis honorificam associationem, quam Iudices, iuxta antiquos Curiae ritus, faciunt omnium Curialium, iuxta eorum diuersas spheras, magis scilicet associando consistorialos, quam

O. de isto usu togæ doctoralis tit. de iuris. disc. 93.

P. Cons. 62. Sixti V.

Q. supra dicto disc. 32.

quam non consistoriales, magisque Ad-  
uocatos, quam Procuratores collegiales,  
& magis Procuratores collegiales, quam  
alios non collegiales, magisque istos,  
quam Sollicitatores.

Obtinet quoque istud Collegium, re-  
gimen, ac administrationem Vniuersita-  
tis studiorum Vrbis, quæ sub vocabulo  
Sapientiæ explicatur; Ac etiam nimium  
existimabilis est usus antiquus, de quo  
etiam antiqui Scriptores testantur Q. 2.  
obtinendi à Pontifice alicuius ex eoru-  
suis idonei, & capacis coadiutoriam cum  
futura successione; Quod etiam quando-  
que (sicet rarius,) in fratre, vel nepote,  
ex fratre praxis docet; In his autem coa-  
diutoribus aliqua praxis, quæ à juris re-  
gulis exorbitat, habetur parum commen-  
dabilis, quod scilicet, in eisdem functio-  
nibus eodem tempore, cum eodem solē  
ni habitu interueniunt, coadiutus, & coa-  
diutor; Ac etiam quod coadiutor, adhuc  
vidente coadiuto, locum antianitatis oc-  
cupat, etiam supra eos, qui postea in titu-  
lum prouideantur, quod nimium refert,  
vt iure antianitatis occupetur locus in-  
ter septem antiquiores, qui solum de-  
emolumentis ut supra participant.

Relinquendo autem pariter locum ve-  
ritati (nullas Iudicis, vel decisoris partes  
desuper assumendo) an ex aliquo Aposto-  
lico indulto, vel potius à casu, & ex anti-  
quo magis commendabili usu, quod non  
65 nisi excellentes & primarij Aduocati  
huic Collegio cooptarentur, id prouene-  
rit; Illud tamen præbet plurimum saeculo-  
rum continuata obseruantia, quod duo  
infra scripta Aduocatorum officia, Ca-  
meræ scilicet vel fisci, & pauperum, penes  
huiusmodi Aduocatos Consistoriales esse  
consueverunt, vt præsertim legitur de in-  
signi Iurisconsulto Bonifacio de Vitalinis,  
circa eundem supra recensitum annum  
1340; Atque præ ceteris, munus Aduo-  
cati fiscalis, obtinuerunt insignes Iurisco-  
sulti, quorum scripta apud posteritatem  
remanerunt, Silvester Aldobrandinus,  
Antonius Gabriellius, & Io: Baptista Spa-  
da, Aduocati Consistoriales R; Idque

magna consideratione est dignum, non  
quidem, vt Papa præcisè arctatus esse de-  
beat ad præfata munera, non nisi ex hoc  
personarum genere assumere; Id enim  
fabulosum est, atque stultitiae speciem re-  
dolet, dum vbi etiam explicitum adesset  
privilegium, adhuc tamen certum est lu-  
ris principium, vt illud non liget ipsum  
Papam concedentem, qui etiam officia  
collata, & privilegia concessa tollere po-  
test S; Sed vt in pari causa, & quando in  
isto Collegio adsint viri doctrina, & in-  
TEGRITATE, alijsque animi congruis doti-  
bus idonei, præeligi de congruo merean-  
tur, non autem, vt Principis vel Reipu-  
blicæ servitio aliter exigente, id præci-  
sum redoleat necessitatem.

Ex his autem liquet, istud esse munus  
nimia existimatione dignum, dum præ-  
missas prærogatiwas producit, ac etiam  
utilitatem bursalem considerabilem in-  
septe participantibus monstrorū scuto-  
rum quinquaginta circiter, nullumq; præ-  
66 stat exercitio Aduocationis impedimē-  
tum; Illudque etiam, ad instar Tribunalis  
Rotæ, Pontificum, Cardinalium, & insi-  
gnium Præsulum seminarium esse con-  
suevit, dum ab eo, tanquam ab equo Troia-  
no, multi Summi Pontifices, Cardinales,  
& Præsules prodierunt.

Reputantur item Papæ familia es, dū  
ad instar Prælatorum obtinent partem  
panis palatij Apostolici; Ipsique haben-  
tes in eorum Collegij protectorem San-  
ctum Iuonem Aduocatum, eius solemnis-  
tatem, cum interuentu Collegij Cardi-  
nalium, & Rotæ Auditorij celebrant in  
Ecclesia, quæ in adeo magnifico studiorū  
vel Sapientiæ Palatio constructa est; Ac  
etiam curam, & administrationem ha-  
bent per celebris Bibliothecæ sub Ale-  
xandro VII. in eodem Sapientiæ pala-  
tio constructæ singularibus, ac excellen-  
tibus libris instructæ, multisque alijs  
potiuntur prærogatiwas; Ita que reputa-  
68 tur congruus gradus ad Rotæ Auditio-  
rium, aliaque maiora munera.

De

Q. 2. Vestr. dicto cap. 18. lib. 2. dicto opuscu-  
lo cap. 6.

R. Rubeus in dicto opusculo cap. 7. & Char-  
tarius in syllabo Aduocatoriæ Consistoria-  
lium Scannarol. dicto lib. 1. c. 3. sect. 2.

S. tit. de Regalibus disc. 148.

#### I V De Aduocato Pauperum.

**Q** Vamuis autem in Curia, magis quam  
alibi, consultum sit pauperum defen-  
sioni, & patrocinio, eò quia, omnes Ad-  
uocati, indistinctè istam charitatem li-  
69 benter exercent, vt etiam faciunt Procu-  
ratores, siue sint collegiales, siue non.,  
cum adsit quædam pia Congregatio Cu-  
rialium, quibusdam festiis diebus ha-  
beri solita in Ecclesia Sancti Caroli ad  
catenarios, pro receptione supplicum  
libellorum, personarum miserabilium, quæ  
gratuitum patrocinium implorent, ibi-  
que causæ repartuntur; Ac etiam quia  
Aduocatis Consistorialibus, vt potè illud  
munus obtinentibus in officium à Papa,  
istud onus incumbit R; Adhuc tamen  
70 in causis criminalibus, ita consultum nō  
remanet, ob stylum Curiae alibi insinua-  
tum, quod classici Aduocati, & causarum  
Patroni, nimium occupati in causis ciui-  
libus, tam spiritualibus, quam prophanis,  
abstinent à criminalibus, in quibus prop-  
terea parum versati sunt, quasi quod istæ  
videantur professiones distinctæ, Ciui-  
71 starum, & Criminalistarum, adeo ut ea-  
rum quilibet totum occupet hominem;  
Ac etiam, ob alterum valde quidem  
commendabilem stylum, tractandi cau-  
cas criminales cū nimia celeritate, adeo ut  
sepius, terminus defensionū restringi so-  
leat ad horas; Et merito quoniam cū delin-  
quentium, ac facinorosorū hominū puni-  
tio fiat potius pro medicina præseruati-  
ua publicæ quietis, & tranquillitatis, vt  
72 homines à criminibus arceantur, quam  
pro curatiua criminis iam irretractabili-  
ter patrat; Hinc proinde, quo magis pu-  
nitio est celer, cū recenti memoria crimi-  
nis, eo magis est medicina proficia, & o-  
perativa, adeo ut frequenter contingat, vt  
pauperum Aduocatus, & Procuratores,  
nudū omnibus alijs negotijs, sed ipsi met  
73 cibo, & somno neglectis, cogātur huius-  
modi defensionibus toti vacare; Ac  
propteræ, quamvis istud munus Aduo-  
cati pauperum, competentibus emolu-  
mentis prouisum sit, in annua summa  
scutorum auri mille circiter, ultra alia  
emolumenta, & utilitates, quæ resultant à

74 franchitijs gabellarum quibus positur,  
tanquam unus ex ijs, qui sedent in Tri-  
bunali Cameræ, vt agendo de eodē Tri-  
bunali supra adueritur; Ac etiam ob fa-  
cilitatem, quam habet, perinde ac si  
esset unus ex Iudicibus ordinarijs, inter-  
ponendi decreta, in actibus voluntariæ  
75 iurisdictionis, putâ in contractibus mi-  
norum, & mulierum ad formam Statu-  
torum Vrbis; Nec non nimium existima-  
76 bilis reputetur audientia Papæ, tam in-  
diebus ordinarijs, in quibus alijs officia-  
libus præstat, quam etiam in diebus, &  
horis extraordinarijs, quādo res urgat;  
Et quod magis est, videatur munus, quod  
magnum præbet occasionem meriti apud  
Drum, quando bene, & cum debita cha-  
ritate exerceatur, vt frequenter exerceri  
praxis docet, & præscriptum per hodiernum,  
nimia quidem probitatis, & chari-  
tatis Aduocatum Euiebium amicū meū,  
virum candidissimum; Adhuc tamen, pro  
meo sensu, vel genio, his non obstanti-  
bus, videtur munus, nimium incommo-  
dum, & erumnosum, vtique non deside-  
77 rabile; Tum ob prædicta incommoda,  
vnde frequenter integras noctes insom-  
nes ducere oportet; Tum etiam quia, pe-  
nè semper, standum est inter planctus, &  
suspiria, ipsorum carceratorum, quos au-  
dire oportet, eorumque vxorum, & co-  
niuctorum; Et quod magis est, cum aga-  
tur de grauibus causis, virtue, & fame ho-  
minum, cum damno irretractabili; Hinc  
proinde quando causæ exitus, reddit de-  
fensionem non proficiam, illi semper re-  
manere videtur quidam conscientia sti-  
mulus, pro omni moda, & maiori diligē-  
tia forte non adhibita; Siue animi angor,  
quod indebitè ad patibulum traductus  
faerit ille, qui ab eo non reputaretur, illo  
opprobrio sine dignus.

Ex his itaque sequitur, quod non de-  
facili inueniantur, neque sint frequentes  
Sancti Iuones, qui ex charitate, suoque  
ære viuendo, atque alia negotia deteren-  
do, istud munus suscipiant, ideoque præ-  
cisè necessarij sunt illi, qui in officium,  
78 huic muneri, roti addicti sint, iuxta om-  
nium principatum, & magnorum Tri-  
bunalium stylum communio.

Præficitur itaque huic muneri per Pa-  
pam unus ex ordine Aduocatorum, atque  
P. 2. de Relat. I iuxta

R. Scannarel. de vñst. ubi supra.

## RELATIO ROM. CVR. FORENSIS

79 iuxta supra insinuatam primum tempore considerabilis, ex illo consistoriali, qui non prohibetur continuare professionis exercitium, quod prius haberet in causis ciuilibus, prophanicis, vel spiritualibus, in Rota, alijsque Tribunalibus, cum ita non sit incompatible cum officio; De facto tamen quedam species incompatibles resultat, ob continuas occupationes ut supra.

Potitur iste Aduocatus, iam recensitis praerogatiis, habendi audientiam Papæ, & sedendi in Camera, more aliorum, qui 80 cameralis dicuntur, nec non exercendi voluntariam iurisdictionem, cum considerabilibus emolumentis pariter insinuat, atque est officium regulariter, & de sui natura perpetuum, quod per mortem, vel per promotionem ad maiora munera incompatible cessat; Ac etiam ius habet interueniendi in omnibus Congregationibus criminalibus, quæ pro commendabili stylo, qualibet hebdomada habentur in superiori enarratis Tribunalibus, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, & Vicarij, ac etiam in foro Capitoli, sedendo etiam de tempore quo causa examinatur, ac vota proferuntur eodem modo quo Aduocatus fisci, quem praecedit, dignorem locum occupando; Prout etiam interuenit in visitationibus carcerum, ut supra insinuatum est in rubrica, in qua de huius visitationis Congregatione agitur; Atque nostra ætate in ultima Cardinalium promotione facta per Innocentium decimum, pro consuetis Curia contingentibus, rerumque circumstantibus, ab isto munere Aduocati pauperum, cum sola aliquorum mensium præclarum & virtusque Signaturæ mixtura, vidimus (digne quidem) eum ad purpura, magnum, in minoribus, & in maioribus, amicum meum, Carolum Gualtherum Vrbueranum, nuper immaturè defunctum.

Prohibetur autem iste Aduocatus scribere ad defensam, diuitum & idoneorum, cum præmio; Et merito quidem, ex 83 duplice probabilitate ita prouisum est; Primò scilicet ne magis deditus huiusmodi causarum defensioni, quæ præmium habet manuale, deferat causas pau-

perū, vel eiusdem decet) non sit ita diligenter deditus; Ideoque congruit, ut si legaliter sit in eis occupatus, dum causæ ciuilis compatibilis dilationes, ac moras pati possunt; Et secundo, ne detur ansa, vel occasio turpiter agendi, ac etiam à minus idoneis præmium extorquendi, sub affectata credulitate vel opinione, quod essent idonei; Aliaque super hoc munere recensentur per illos, qui de præxi visitationis carcerorum volumen cōponere laudabiliter professi sunt. S.

## V.

*De Aduocato Cameræ & Fisci; Ac etiam de Promotore Fidei.*

**E**X eodem Aduocatorum ordine, ut supra, iuxta stylum, omnibus principiis communem, per Papam assumitur unus, qui in officio tueretur causas 84 Cameræ, & fisci tanquam Aduocatus, agendo solum de ijs, quæ iuris sunt, iuxta suprainsinatum stylum Aduocatorum Curiae, cum de ijs quæ consistunt in facto, circa compilationem, processus offensiui & defensiui, eiusque visionem, aut lecturam, ac alia huiusmodi, pertineat ad duos Cameræ, & fisci Procuratores, de quibus infra.

Dicitur autem Aduocatus, Cameræ, & Fisci, quoniam licet, in grammatical, ac etiam in legali significacione, ista vocabula Cameræ, & fisci, synonyma sint, idemque sonent; Nichilominus pro stylo, seu loquendi vnu Curiae, reputantur distincti; Ut enim alibi pluries aduertitur, duplex fiscus habetur; Unus scilicet qui dicitur fauorabilis, & priuilegiatus, concernens publicum ærarium Principis, vel dotem Republicæ, constitutam, ex iuri bus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non penalibus; Et alter odiosus, tam circa personalem delinquentium punitionem, pro qua fisci officiales, & defensores, ex officio instant, atque principaliter incubunt, quam etiā p̄d interestebursali, quod resultat à publicationibus bonorum, & à pénis pæcuniaris, quæ ratione criminis, vel contumacia fisco applicantur; Unde propterē priuilegia tacitæ hypothecæ, & potioritatis in bonis postea

postea quæsitis, aduersus anteriores, ac alia, quæ per legem, fisco attributa sunt, primo fisco fauorabili, non autem alteri odioso competit; Atque huic posteriori, non autem primo congruit vulgare dictum Pliny, in epistola ad Traianum, quod sub bono Principe, fisci causa semper mala est; Ac propterē sub nomine Cameræ explicatur prima fisci fauorabili species, cuius cause post consumptam primam instantiam, vel respectuē quandoque secundam coram Apostolicis Collectoribus, & Thesaurario, vel Cameraario, cognoscuntur in Tribunalis Cameræ, quod se non ingerit in confiscationibus bonorum delinquentium, vel in alijs multis & pénis pecuniariis ratione delicti, cum solum de illis causis criminalibus scilicet pénalibus, ipse cognitionem habeat in ulteriori instantia, quæ dependeant à iuribus cameralibus; Puta in causis decupli, contra administratores, vel Appaltatores fiscales, qui computa minus fideliter tradant T; Vel vbi agatur de pénis, ob fraudatas gabellas, siue ob occupata bona, vel iura Cameræ; Aut vbi ageretur de illis confiscationibus, quæ ciuii potius, quam criminali more fiant de illis bonis, quæ in isto principatu possideantur per illum qui in altero principatu, vel territorio sententiam capitalem, veram, vel contumaciale, cum publicatione bonorum passus fuerit V, dum in pénis & confiscationibus, quæ fiant in Tribunalis Gubernatoris, vel Auditoris Cameræ, & Vicarij, ac in alijs, tam Vrbis, quam reliqui Status ecclesiastici, ut potè pertinentibus ad Tribunalia criminalia, Tribunal Cameræ se non ingerit, ideoque inoleuit ista vocabulorum discretio, quod scilicet, aliud sit Camera, & aliud sit fiscus, cum distinctis patronis, seu Procuratoribus, dum ille qui est Cameræ, dicitur Comifarius; Ille vero qui est Fisci, appellatur Procurator fiscalis ut infra de eis agendo.

Cum itaque iste Aduocatus, utriusque Procuratori, in ijs, quæ iuris sunt, opem praestare soleat, ac debeat; Hinc proinde dicitur Aduocatus Cameræ & fisci, ad

87 denotandum utrumque munus, dum iste Aduocatus ius habet interueniendi in omnibus Congregationibus criminalibus, quæ ut supra fiunt, qualibet hebdomada, in Tribunalibus, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, & Vicarij, ac etiam in Congregatione Consultæ, quæ ut supra in eius particulari Rubrica, habetur bis in qualibet hebdomada, nec non in visitatione careerum, & in alijs congregibus, in quibus de causis criminalibus agi contingat.

Maius vero, ac principale eius munus, versatur circa causas camerales alterius fisci fauorabilis, quoniam cum materia criminalis, comparatiuē ad duas ciuilis, prophanicam scilicet, & spiritualē, theorice sit nimium facilis, & finita, adeo ut 88 ille ingeniosus professor, qui se illi addiccat, ad brevetem, quoad partem theoricam, seu scientificam, valde peritus, ac excellens reddi valeat, quod utique de præfata dupli materia ciuili, etiam si vivat centum annis, non de facili asseri potest; Maior autem materiæ criminalis difficultas, vel peritia consistat in præxi, pro qua exiguntur magis experientia, & sagacitas, quam pars scientifica theoricæ; Hinc proinde, nimium raro sequi solet, ac debet necessitas recurrendi ad maiorem peritiam Aduocati, cum ad munus Procuratoris fiscalis, cui principaliter iste partes incumbunt, assimi non soleat, nisi criminalista peritissimus, & qui diu, per omnes criminalitatis gradus transferit, 89 ac versatus sit, etiam gerendo munus iudicis, vel Locumtenentis, cum istud officium Procuratoris fiscalis generalis Vrbis, reputetur primus, ac maior criminalistarum gradus; Accedente potissimum, quod in Curia, & præsertim in Tribunali Gubernatoris, & in Congregatione Consultæ, in quibus maiora, & grauiora negotia criminalia peraguntur, pro frequentiori præxi, proceditur cum stylis, & cum bannimentis, ac etiam cum motibus proprijs pontificijs, adeo ut nimium rari sint casus, in quibus ita prouisum non fit, vnde propterē ad apices, vel regulas P.2. de Relat.

II 2 juris

T. tit. de Regal. dis. 119. cum seqq.

V. cod. tit. de Regal. dis. 160. & latius in supplemento.

iuris communis, conuolare oporteat, atque maiorem Aduocati peritiam adhibere.

Hinc proinde, in quodam extraudi-  
ciati dubio, quod incidenter de recenti  
excitatum fuit, an scilicet, clericatus, præ-  
sertim in sacris, compatibilis esset cum  
hoc officio Aduocati Cameræ & fisci; illi,  
qui incompatibilitatem assueabant  
principium constituebant fundamentū,  
in decreto Concilij Lateranensis sub In-  
nocentio III., registrato inter decreta-  
les, X per quod expresse inhibetur cle-  
ricis ne sanguinis causas agant, atque in-  
eis quoquo modo se ingerant; Et ex cu-  
jus decreti, aliorumque Canonum, vel sā-  
ctorum Patrum auctoritate, Canonistæ,  
& Morales, in specie istorum munierum,  
Aduocati, & Procuratoris fiscalis, fir-  
mant, ut per illa, irregularitas incurra-  
tur, saltem illa quæ dicitur leuitatis, quo-  
niam non solum manibus, sed cum gladio  
materiali, homicidium committi, & san-  
guis fundi dicitur, sed etiam cum gladio  
linguis, & sic cum petitione, vel consilio,  
aut mādato, vel alia cooperatione, iuxta  
sententia Diui Augustini, agendo de pa-  
sione Domini, quod licet per milites,  
non autem per scribas & phariseos, alios  
que iudicis, materialiter crucifixus fue-  
rit, magis tamē occisus fuerit gladio lin-  
guæ, & clamando ad Pilatum Crucifige,  
Crucifige. Y

Diversa tamen erat mea opinio, quam  
audiui magis communiter in Curia apud  
bene versatos haberi, ex ratione superius  
recensita, quod scilicet reuerā istæ par-  
tes, instandi apud Iudices in casibus par-  
ticularibus, pro poena ordinaria delin-  
quentium in concreto, aliaque gerendi,  
quæ ad idem tendant, reuera sunt Procu-  
ratoris fiscalis, qui totum agit; Interuen-  
tus autem Aduocati in Congregationi-  
bus criminalibus, quamvis per Aposto-  
licas constitutiones æditas super refor-  
matione Tribunalium iniungatur; At-  
tamen ille, istas partes, iuxta frequentio-

- X. In cap. sententiam 9. de Cler. vel Monach.  
Y. ex his ita firmant alijs relatis Maiol. de  
irregularit. lib. 2. cap. 9. Giballin. de ir-  
regular cap. 4. diff. 16.  
Z. Scannarol. de usit. carcerat. lib. 1. cap. 4.  
num. 14. de Rubeus in dicto opusculo disc. 7.  
num. 35. & seqq.

rem antiquum stylum, non gerit, sed po-  
tius, tanquam insignis, ac primarius Iu-  
risconsultus (qualis hucusque semper esse  
consuevit ille, qui hoc munus occupauit)  
92 habendo votum consultuum tantum,  
non autem decisum, gerit partes Con-  
siliarij pro veritate, super ijs, quæ in pun-  
cto iuris ambigui consistant, nē in ali-  
quem errorem, cum iustitiae detrimento  
incurratur, quod aq̄ se habere potest,  
ad inquisitorū condemnationem, ac ab-  
solutionem, ita theoretice, sū in abstracto,  
iuxta ea, quæ proponuntur de iure res-  
pondendo, atque gerendo solas par-  
tes insinuatoris, vel magistri, & principa-  
liter consulendo pro seruitio iustitiae, ac  
Reipublicæ quiete, nō autē se ingerendo  
in applicatione ad concretum, vt ille  
Reus tanquam sufficienter conuictus de  
crimine, tali, & tali poena puniatur, cum  
revera istæ non sint partes Aduocati, sed  
Procuratoris fiscalis vtsupra; Contrarium  
autem pro frequentiori praxi est in alijs  
principiatibus, eorumque Curijs, & Tri-  
bunalibus, quod s. præcipuæ, ac totales  
partes, quæ in Vibe geruntur per Pro-  
curatorem, explicentur per Aduocatum,  
cuius Adiutor, vel sollicitator est Procu-  
rator, eo modo quo infra, agendo de  
Procuratoribus, aduertitur; Ac prope-  
re alibi disputari solet quæstio, quæ ta-  
men in Curia nunquam pro mea notitia  
auditur, an Aduocatus fiscalis possit alle-  
gari suspectus. A

Et ulterius, cum ista dicatur quædam  
irregularitas impropria, & remota, quæ  
non prouenit à criminе, vel à peccato,  
sed ab actu lito, quinimodo meritorio,  
Hinc prouenire potius dicitur à quadam  
maiori Ecclesiæ pietate, quoniam Diuinū  
oraculum Sacrae paginæ veteris testamē-  
ti, per quod vir sanguinum ab altari auel-  
li præcipitur, tanquam mysticum potius  
quam morale, euauisse videtur, vt pote  
euacuatum per Incarnationem, & passio-  
nem Christi; dum alijs Papa non posset  
dispensare irregularitatē ex homicidio,

præ-

- A. Fontanell. decis. 30. Carena resol. 169.  
n. 31.

præfertim voluntario, & criminoso, cuius  
contrarium incōcussa praxis docet, & re-  
uerā loquitur de homicida criminoso;  
De ista verò specie magis leuis, ac remo-  
ta irregularitatis, in illis Tribunalibus,  
quæ Papalia sunt, & in quibus Iudices,  
alijsque officiales, præficiuntur per ipsum  
Papam, qui recte sciēt, quid acturi sint,  
id non procedit, per quandam virtualē  
sū implicitam dispensationem, quæ ita  
inesse videtur; Ut docet praxis in Gu-  
bernatore, & in Vicario, eiusque Vice-  
gerente, & in Auditore Cameræ, quod  
interueniunt in huiusmodi Congrega-  
tionibus, quarum ipsi sunt Præsidentes  
& Regulatores maiores; Atque pro fre-  
quentiori praxi, & præfertim in Tribu-  
nalib. Gubernatoris, ab istius sensibus, ma-  
gis, vel minus rigorosis delinquentium,  
celer, & rigorosa punitio penderit, ipseque  
casum refert Papæ, atque ab eo oraculum  
recipit; Idemque respectuè; In Cardina-  
libus Legatis, Præsidibus prouincia-  
rum; Et in Gubernatoribus Ciuitatum.  
Status ecclesiasticus, qui omnes sunt Præ-  
lati, pro magna parte in ordine sacerdo-  
tali, & frequenter in Episcopali, & Pa-  
triarchali constituti; Magis verò, id cō-  
probat praxis Congregationis Consultæ,  
de qua superius in eius particulari Ru-  
brica actum est, quod in ea interueniunt  
multi Cardinales, & Prælati, vt plurimū  
in sacerdotali ordine constituti, ac etiā  
in Episcopali, qui quotidie missam ce-  
lebrant, & tamen, magis proximè, atque  
in longè maiori frequentia, causas san-  
guinis agunt, præcisè decernent do in-  
concreto mortem inquisitorum.

Decretum verò Concilij Lateranensis  
in genere emanatum pro vniuerso Orbe,  
prudenter edictum fuit, atque exactè ob-  
seruandum est, respectu Tribunalium  
sæcularium, siue aliorum, quibus ista ra-  
tio non adaptetur; Ad instar eorum quæ  
alibi insinuantur, circa militiam, vel no-  
zariatum criminale, aliaue officia sæcu-  
laria, quæ cum clericatu incompatibili-  
reputantur non tamen in seruitio Pa-  
pæ. B

In hoc autem versatur continuum, at-  
que perpetuo damnabile pragmaticorū  
æquiuocum, attendendi (sicilicet doctri-  
nas, vel leges, in sola litera, sū genera-

litate, non reflectendo ad congruam ap-  
plicationem resultantem à debita distin-  
ctione casuum, & regionum, aliarumque  
circumstantiarum, & sine qua nunquam  
applicatio bene sequi potest; Aq; exin-  
de resultare solet frequens incursus æqui-  
uocorum, præfertim in Moralibus, circa  
forensia, ieiū judicialia, quoniam nullam  
fori negotiorum practicam notitiam  
habentes, procedunt cum propositioni-  
bus generalibus in abstracto, quæ foro  
interno benè congruere possunt, non  
autem adaptantur foro externo; Siue re-  
ctè procedunt, in vna regione, non au-  
tem in altera, ob diuersos mores, vel ity-  
los.

Nimia autem existimationis est in-  
Curia istud officium, non solum ob in-  
teruentum in omnibus Tribunalibus, &  
94 Congregationibus criminalibus, in qui-  
bus eius votum solet esse magni ponde-  
ris, magnæque auctoritatis, sed etiam ob  
alia maioris existimationis negotia ca-  
meralia pertinentia ad virumque fiscum  
ecclesiasticum, & prophanicum, Papæ sci-  
licet tanquam Papæ per vniuersum Or-  
bem catholicum, et eiudem tanquam  
Principis Ditionis temporalis; Ideoque  
iste Aduocatus sedet quoque in Camera  
inter Camerale, atque interueniuit in  
Congregationibus, quæ pro iuribus Ca-  
meræ sunt coram Thesaurario, quarum  
vna Computorum, & altera Cameralis  
dicitur; Necnon in Congregationibus  
Montium & Baronum, vt supra de eis a-  
gendo aduertitur; Ac etiam in Congre-  
gatione Immunitatis Ecclesiastice, & in  
altera Consistoriali, omnibusque alijs,  
in quibus sedes vel Camera Apostolica,  
quoquo modo, directè, vel indirectè in-  
teresse habere potest.

Magis autem crescunt huius Aduo-  
cati existimatio, auctoritas, & occupa-  
tiones, quando (vt pro frequentiori pra-  
xi sequi solet) ei iniunctum quoque sit  
alterum officium sū munus, (quod reue-  
ra est diuersum, ideoque à persona diuer-  
sa occupari potest.) Promotoris Fidei,  
ideft Aduocati fiscalis, vel oppositoris in  
causis beatificationis, vel cultus, aut cano-  
nonizationis seruorum Dei, vt ita me-  
lius veritas inquiratur, atque per acrum  
oppositionum ignem perficiatur aurum,  
ne

ne aliâ ex nimia pietate, vel deuotione, eorum, qui huiusmodi canonizationibus vel beatificationibus incubunt, admittâtur ea, quæ admittenda non sint; Ideoq; interuenit quoque in Congregatione Rituum, alijsque congressibus, vel actibus qui istam materiam percutiant; Non interuenit autem in illis causis fides, quæ aguntur in Congregatione vel Tribunalis Inquisitionis vniuersalis, dum adest proprius, ac particularis fiscalis.

Emolumenta istius officij, sunt eadē, quæ superius insinuata sunt de Aduocato pauperum & aliqua maiora, dum illi volenti, interdictum non est, scribere in causis criminalibus contra reos, ad instâtiâ accusatorum, vel instigatorum, recepta mercede; Quod tamen, licet sit licitum, non tamen honestum reputari solet, ideoque pro frequentiori praxi, possessores huius officij ab hoc abstinere consuerunt; Et quando admixtum quoque sit prædictum aliud manus Promotoris fidei, alia obtinentur considerabilia emolumenta, licita, & publica pro mercede magni laboris.

Occupari semper huc usque consuevit, vt etiam supra aduertitur, istud manus

96 per maginos, ac primarios Curiae viros, qui non solum essent insignes Iurisconsulti, beneque versati in utroque iure ciuili, & canonico, magis vero in feudali, cuius peritia principaliter necessaria reputatur, ob feuda, aliaque iura regalia Cameræ; Sed etiam in exacta notitia Conciliorum, & ecclesiasticarum, ac prophatarum historiarum pro iuribus Sedis, & Cameræ Apostolicæ benè tenuis, occasione controversiarum iurisditionalium, vel præminentialium, quæ habeantur cum Principibus fœcularibus; Ideoque illud occuparunt supraenuntiati insignes Iurisconsulti primarij Aduocati, Aldobrandinus, Gabriellius, & Spada, vt docent eorum scripta, quæ publicæ luci ædita sunt; Neque dissimiles fuerunt alii, quorum labores sub tenebris remanserunt; Vt præsertim nostra ætas vidit, in insigni Iurisconsulto, & primo Aduocato Antonio Cerro, patre Caroli, qui postquam, triginta circiter annorum spatio, in Rota, etiam tanquam Decanus, commendabiliter sedidit, dignè ad purpuram eusectus fuit; Dicitque Cerri successor fuit, idemque munus, iun-

ctum cum altero Promotoris fidei, à prædecessore quoque tentum, spatio triginta annorum, & ultra, exercuit, & exercet Petrus franciscus de Rubeis, alijs primarius Aduocatus, nunquam in parte scientifica fatis commendatus, dum non solum, eximius, ac profundus est Iurisconsultus, verè scientifico more, per principia, non autem per traditiones, & repertoria, iuxta ineptum morem Pragmaticorum, quibus magis sæculum modernum abundare videtur, et præsertim ob magnam peritiam in materia feudal; Sed etiam quia, dici potest animatum archiuum vniuersale historiarum, ac Iurium Sedis Apostolicae, adeòvt (sine aliquo præiudicio) job huiusmodi vniuersitatem, ac memorie promptitudinem, & ingenij acumen, similem virum Iuristā, non sim expertus; Et tamen, iā octogenario maior, in hoc munere, ad sepulchrū forsan accedit, alijs maioribus, numeribus in parte occupatis ab ijs, quorum aliquos Deus scit; Talis enim est, consuetuta fortuna stultitiae, vel aularum consuetudo.

## V.

*De Procuratoribus seu causarum Patronis.*

**E**odem retento præsupposito, cum quo in Aduocatis hucusque processum est, quod scilicet agatur de ijs, qui non solo nomine, sed etiam resint tales, non autem de ijs qui vix ad sollicitatoris munus idonei, istudque reuera exercentes, Aduocati, vel Procuratoris nomen usurpat; Adinstar eorum, quæ de Doctoribus eorumque priuilegijs Scribentes tradunt; Nobile est in Curia Romana Procuratoris officium, cuicunque insigni Iurisconsulto, etiam nobilium natalium congruum, vt quotidiana praxis docet, dum plures munus Procuratoris exercent, qui etiam Aduocati primi ordinis esse possent; Ideoque eis non congruunt ea quæ ab aliquibus de isto procuratoris officio dicuntur, cum intelligenda veniant, de illis procuratoribus merè mechanicis, qui vacant solum actibus mechanicis in compilatione processus. Siquidem Procuratores Curiae Romanæ sunt verè causarum Patroni, qui, more Aduocatorum, se non ingerunt in actibus inferioribus, & mechanicis, quos explicant, per sollicitatores, vel per eorum iuue-

juenes, & adiutores, dum eorum partes sunt componendi commissiones, vel monitoria, seu libellos, nec non articulos, instructoque processu, illum videndi, atque exinde conficiendi discursu pro cōgressibus fieri solitus pro directione causarum, ita instruendo Aduocatos de illarum statu, atque promouendo motu etiam iuris; Efformando quoque informationem facti & iuris, pro cuius maiori cōprobatione, superaddi solent informationes Aduocatorum; Verum adhuc, tam motu, quam auctoritatibus more Iurisconsulti illa bene referta est, adeòvt reuera gerant ea quæ in alijs Tribunibus, & regionibus gerunt Aduocati, vbi non habeatur ille usus Aduocatorum, qui habetur in Urbe; Ideoque apud antiquos scriptores communis est traditio quod Procuratores Curiae Romanæ, exequati sunt Aduocatis aliarum Curiarum. B

Bene verum quod in abusum irrepisce videatur, atq; potius damnabile reputatur, vt Procuratores, in ijs quæ iuris sūt, 99 nimium se extendant siue immorentr, dum ita quandoque, à partibus ingenij, quæ magis gratae sunt, allesti, seu abstrahi, ab inferioribus, minulque gratis partibus, diligentis, & accuratae lecturæ processus, & indagationis facti distrahi solent cum præiudicio causarum; Ideoque eorum præcipuae partes esse debent, in diligentissimo studio processus, atq; in indagatione facti, eiusque breui, quidē, sed accurata, & diligentissima narratione, excitando solum motu, vt Aduocati suppliant, cum doctrinis, & ratiocinijs.

In Procuratoribus autem, magis frequens esse solet usus annuorum stipendiiorum, seu prouisionum, adhuc tam in parte intermissus est, comparatuē ad antiquum stylum quando ita stipendium annū statutum non sit, eorum honorarium pro mercede laboris, est in omnibus uniforme, cum illo Aduocatorum, supra recensito; Cum aliqua tamen discreta moderatione, circa frequentiores functiones, quas ipsi facere solent in voce, vel in scriptis, per memorialia, super incidentibus; Merces autem studij processu de partibus, solet esse maior, vel mi-

nor, pro illorum qualitate, & pro Partiu discrete arbitrio; Adhuc tamen quædā taxa moderata, ex antiquis traditionibus, in praxi apud eos habetur.

In isto quoque ordine, dignoscitur eadem suprainsinuata discretio consistorialium, & non consistorialium, sive 101 collegialum, & non collegialum, dū adest Collegium, quod ab antiquo (iuxta unam opinionem supra recensitam) per Benedictum XII. de anno 1340 in Auenionensi Civitate erectum fuit, illorum Procuratorum, quibus tantum liceret consistorium ingredi, atque causas consistoriales peragere, ideoque illi qui sunt de Collegio, intitulanter Procuratores caularum Sacri Palatij Apostolici; Non dicuntur enim consistoriales, quoniam hodie non habetur amplius usus disputandi causas contentiosas in Consistorio, ideoque illud non ingrediuntur vt Ad. uocati; Habent item facultatem scribendi etiam in iure, atq; in iudicibus, & Tribunalibus maiores obtinent honorificas tractatus, quām obtineant illi Procuratores, qui non sunt de Collegio, & supra quos licet antiquiores habent præcedentiam, eo modo quo supra de Aduocatis Consistorialibus est dictum. C

Antiquiori tempore, illud non erat numeratum; In hoc autem sæculo sub Paulo V. effectum est tale, constitutum 102 in numero, determinato vigintiquatuor; Benè verum, quod vacante loco per mortem, vel per promotionem ad statum diuersum incompatibilem, non sequitur illico subrogatio, vt in Collegio Aduocatorum practicatur, sed expectari solet pluriū locorum vacationes, & postquam aliquis considerabilis numerus desit, tunc, tanquam per speciem promotionis, ab ipsome Collegio, absque aliqua auctoritate, fieri solet bene visa cooptatio aliorum, inter plures ex ijs, qui desuper præces porrigit, atq; digniores, vel magis prouecti videantur.

Illa vero admissione, vel cooptatio, fieri solet, præiudicato processu, non sololum super idoneitatem in exercitu professionis, quæ minus alijs inquiritur, quoniam ubi quis ad istud Collegium adscribi petat, iam effectus est notariæ idoneitatis,

tatis; Potissimum quia illa hodie probatur quoque per examen Rotale, quod ad annos præcedere solet, ut infra; Sed principaliter, super virtutem, ac morum probitate; Et potissimum, super illa probitate quæ pectuat ipsius professionis exercitium, magnam habendo rationem, bone, vel male famam, super integritatem, vel calumniose genio respectu; Ac etiam super natalibus nobilibus, vel saltim in propria patria, civilibus, valdeque honestis, nullo pacto admittendo eos, qui legitimo rum natalium defectu laborent, minusq; si eos habeant legitos, sed plebeos; Atque hinc sequuntur est, ut omni tempore viri nobiles, etiam de familij antiquis, & illius nobilitatis, quæ generosa sit, istud munus exercere, atque ad Collegium admitti non dubitauerat; Ex præfata ratione, quod reuera istud munus causarum Patroni in Curia, importat idem, quod illud Aduocatorum extra, dum illa species Aduocatorum, quam habet Curia, est singularis.

Item ex isto Collegio, ad iustar eorum, quæ superius dicta sunt de altero Aduocatorum, plures prodierunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Prælati, qui primaria Curia officia habuerunt, illa præsertim Datarij, & Gubernatoris Vrbis; Ut præsertim inter plures, circa fine retroacti sæculi, & initium currentis, praxis docuit in Dominico Thusio, qui post alios gradus, fuit Vrbis Gubernator, & præsertim de tempore quo Clemens VIII. Ferraram adjit, deindeque Cardinalis, pontificatus etiam valde proximus, ut conclavium chronicæ docent; Atque nostra etate vidimus insignem Canonistam Marcum Aurelium Maraldum, Datarium Pauli V. & secretarium Breuum Urbani VIII. & Innocentij X., & Hieronymum Beruccium Datarij Innocentij X. & alios; Benè verum, quod ex reliquo catu Procuratorum non collegialium plures quoque sacerdotes dignitates, & fortunas sortiti sunt.

Plures quoque prodierunt Auctores operum, quibus ad publicam utilitatem potiuntur; Ut præsertim ex antiquioribus inter plures sunt, Vestrius, Gallesius seu Massa, Papazonus Et Mandofus; Et ex

recentioribus; Præfatus Cardinalis Thuscus, Lotterius, Vbertus; & alij.

Obtinebat Collegium antiquiori tempore ius præsentandi vel nominandi, ad pingue, & qualificatum beneficium, Archipræbyteratum nuncupatum, Ecclesiæ S. Mariæ supra Rotundam, quod eidem Collegio magnâ præbebat, nedū honorificientiam, sed etiam utilitatem, ita scilicet prouidendo aliquos ex collegiis, qui nollent, vel non possent amplius Curialibus negotijs vacare; Verum ob reuocationem huiusmodi patronatum, quæ in Concilio Tridentino sequuta est, isto considerabili iure caruit; Obtinet autem cappellam Sancti Michaelis Ar. changeli in Ecclesia Sancti Euastachij, atque in die Dedicationis de mense Septembris, dum missa solemnis in dicta cappella celebratur, interueniunt duo collegia, Auditorum Rotæ, & Aduocatorum consistorialium, in habitu solemnis; Auditores scilicet cum roqueto, & cappa magna; Et Aduocati, cum illo habitu violaceo, quem, ut supra, adhibent in aliquibus solennitatibus, & isti sedēt intra cappellam, Extra verò eam, intrā ambitū columnarum, à latere dextero, post Auditores Rotæ, in banco elevato pannis cooperto, sedent iuxta ordinem antianitatis, alij Aduocati non Consistoriales, iam cogniti, & probati, quos eidem Collegio inuitare videatur; Et à lateri finistro, post Aduocatos consistoriales, in consimili banco cooperto, ipsi Procuratores collegij, iuxta pariter ordinem antianitatis; Ipsi autem binis ex quattuor junioribus aliquibus diebus præcedentibus cura habent inuitandi Auditores, & Aduocatos, tā consistoriales, quā simplices; Atque in eadem functione, in obsequium Collegij, interueniunt quoque stantes in reliqua parte Ecclesiæ, liones, & sollicitatores, ac etiam aliqui Procuratores, ex illis qui aspirant ad cooptationem in Collegio; Ad eovt, respectu Curiae forensis, videatur quidē solennitas, alicuius maiestatis, præparatoria quoque alterius, quæ de proximo in prima die iuridica Octobris fieri solet in apertura Rotæ; In cuius equitatione, iam recensita occasione agendi de isto Tribunalis D,

cum

D. supra dis. 32.

cum interueniant duo Auditores iuniores repræsentantes Tribunalis, immediate post eos interueniunt duo Aduocati Consistoriales, & duo ex ipsis Procuratoribus eorum collegia repræsentantes; Idemque ordo sedendi, qui tenetur in ista solemnitate, tenetur etiā in exequijs generalibus, quæ singulis annis in Kalendis anni noui fiunt pro Auditoribus Rotæ, ac etiā in particularibus singularorum Auditorū, & Aduocatorū consistorialium decedentium, vsupra.

Antiqui scriptores praxis Romanae Curie, istius collegij alumni, superius re censiti E damnant, ut alijs, præterquam istis collegialibus, qui ita prævio processu probati sunt, permittatur istud munus causarum Patroni exercere, vel quod saltim istud vocabulū, vel attributū alijs assumere liceat, quasi quod libertas quæ deluper, cuicumque vulgari professori conceditur, aliquod nobilitati munieris præjudicium, causare videatur; Non tamen eorum sensum, Curia amplexa est; Et merito; Tum quia exiguis est eorum numerus, ideoque insufficiens, dum negotiorum multiplicatatem, magnus requiritur numerus Procuratorum qui forte in decuplo, & ultra est maior, quam fit illi Aduocatorum, de iure respondentium; Tum etiam quia inter illos, in quibus natura parum beneuola fuerit, eis absque demerito, tribuendo natales illegitimos, vel plebeos, excellentia & peregrina ingenia frequenter adesse solet, adeo ut efficiantur Curiales primarij, eximie doctrinæ iuncte cum integritate, ac probitate morum; Ideoque iustum non esset istis, qui huiusmodi defectus, absque de merito proprio patiuntur, aditum precludere, ne talentū à Deo sibi concessū exercere valeant; Ac etiam quia, nonnulli ex ijs, qui huius munieris exercitio se addicunt, nobiles etiam generosæ nobilitatis regionis vel patriæ, in qua munus Procuratoris, in modica existimatione sit; Quamvis recte sciant, quod Curiae mores sint diuersi; Adhuc tamen, ut satis-

faciant opinioni vulgi in propria patria, ab huiusmodi positiva adscriptione se abstinere solent; Ponderando quoque quod esset species monopolij, in iure dānati.

Inconvenientibus autem, quæ per dictos antiquos Practicos considerantur, tempore nostræ etatis, occurere studuit Rota, introducendo examen, quod coram Decano fieri solet per duos antiquiores hujus collegij Procuratores, tam super idoneitatem ad munus exercēdū, quam etiā ad super morū probitate, & integritate, neque alijs admittuntur ad scribendum in facto in ipso Rotæ Tribunalis, Vnde propterea illi, qui approbati sint, dicuntur procuratores Rotaes, ideoque prodit quidam nouus ordo, diuersus à reliquo genere.

Stante autem huiusmodi collegiorum existentia, plures in facti contingentia, retentus tamen, & in forma familiarium discursuum dicere consuevit, quod in Curia, indefinite non procedat positio, quam DD. firmant, quod scilicet, Aduocati, & Procuratores, necessitate, vel iusta causa impellente, quamvis inuiti, per Magistratus cogi valeat ad patrocinij præstādū vel consulendū, quasi quod huic muneri se addicendo, quemdam quasi contractum cum Republica, inire dicantur F; Ut agendo de medicis tā corporalibus, quā spiritualibus alibi aduertitur G; Siquidem cum adfint illi Aduocati, & Procuratores, qui munus suscipiunt solemniter, & in officium, pluribus potiendo emolumenis, & prærogatiis, quibus alij carēt; Hinc proinde, rationabile videtur, ut ex regula Secundum naturam &c. vt quem sequuntur commoda, sequantur incommoda, istorum prior debat esse obligatio; Aliorū verò nisi subsidiaria; Bemè verum quod nimium rarō, & forte nunquam formiter huiusmodi quæstiones disputari occasio præbet.

Huiusmodi autem Curiae Procuratoribus, magis quam Aduocatis, congrue.

P.2. Relat.

Kk

re

F. Mastrill. de Magistrat. lib. I. cap. 30. nū. 78. & seqq. Muta ad confuet. Panormo c. 68. num. 20.

G. tit. de iurijs dict. disc. 32.

E. Vestr. in prax. lib. 2. dict. c. 19.

113 re videtur traditio antiquorum Canonicistarum H, vt plus mercantur Aduocati benè suum officium facientes, quam religiosi Chartusiani; Eo quia ista professio, de sui regulari natura, nimium periculosa sit; Peierādi etenim occasio, in calumnijs, & mendacijs (vt supra aduertitur) propriè vigere videtur in ijs defensoribus, qui causas dirigunt, ac processus ordinant, atque ex eorumdem processu, aliorumque iurium visione, distinctionem habent informationem facti, in cuius alteratione viget periculum anime; Accetiam quia, ut potè fiduciarij litigantium, tam in litibus, quam in alijs negotijs, beneque informati de omnibus secretis domorum, ita illi, quibus latronū, & grassatorum potius, quam Curialium, nomen congruit, eos suffocare, atque excoriare satagunt, siue cum prævaricationibus secreta pandere, vt ab alia parte pecunias obtineant; (Et vtinam in Mondo non adessent Curiales ex huiusmodi infami genere); Et per consequens bene dicitur, quod magni meriti céléndi sūt apud Deū, probi Curiales tanquā operarij iustitiae, Reipublice proficiui; Boni etenim, & integri causidici, non solum

114 Reipublice proficiunt, pro causis, & negotijs, quæ ipsi peragunt, sed etiam quia, cum eorum exemplo, eos qui malos mores, vel malum genium habeant, terrent, vel saltim in parte coercent, ne maiora mala committant; Ac etiā quandoq; cum ipsi metu Iudicibus, dē effectus resultare solet, dum probi, & integri Curiales, Iudicibus, & Magistratibus cuiuscumq; graffus sint, libere, & alè loqui possunt quādo videant iustitiae titubantē quod non possunt facere illi qui malos habeant mores.

Procuratoribus item, magis quam Aduocatis, pro Curiæ stylo, congruere videtur, quæ alibi agendo, de contractibus, vel ultimis voluntatibus infraimi ad fauorem medici, insinuata sunt I, cum Aduocati, & præsertim classici, penè cum litigantibus non trahent, neque causarum, ac negotiorum curam habeant,

116 adeò vt quandoque cause disputatae, bonum, vel malum evocatum, per hebdo-

madas, vel menses ignorent, totaque fiducia, & conuersatio litigantium, sit cū Procuratoribus, à quorum libito, vt plurimum pendet Aduocatorum assumptio, ac mutatio; Quin immò etiam approbatio seu fama, quoniam litigantes, à Procuratoris oraculo pendere solent, atque iudicij efformare, an bene vel male Aduocati scriperint; Vnde proptere in Curia res videtur in oppositum eius quod alibi praxis docet, quod scilicet Aduocati, & præsertim iuuenes, qui negotiorum occasione s cupiunt; Vel etiam illi seniores qui (iuxta meam dicendi consuetudinē) ex ordine mendicantium censendi sunt, Procuratoribus nimium obsequiosi esse coguntur.

Itē istis classicis Procuratoribus, &c; ac 117 Aduocatis, congruunt omnia alia quæ DD. tradūt (loquendo generaliter de Aduocatis) quoniam isti propriè sunt illi Aduocati, quorum usus in Vrbe est frequenter; Tum circa punitionem, ob iniurias, & conuincia in scriptis, vel oretenus L; Tum etiam circa eam propositionem, quam antiqui Canonistæ tradunt M, vt Aduocato bonam causam touere iuste opinanti, deducere quoque liceat motiu irrelevantia, ob aliquorum Iudicium, imperitiam vnde bona, & solida motiu non agnoscant, amplectantur autem irrelevantia, & levia, iuxta alias insinuatum exemplum illorum, qui salubres ac nobiles cibos nauseant, nimium autem eis cordi sunt, fabæ cæpæ & alia; Dummodo tamen absit mendacium positum in quo est punctus.

## VI.

*De Procuratore fiscali generali Vrbis Alijsq; fiscalibus, & de Procuratoribus pauperum; Ac etiam de Commissario Camerae.*

Q Vemadmodum autem, in ordine Aduocatorum, vt supra, sunt duo superius recensita officia, Aduocati pauperū, & alterius Aduocati Cameræ, & fisci; Ita in hoc ordine Procuratorum, adsunt officia, pariter pro pauperibus, ac profisco, & Camera, quales sunt; Procurator fiscis.

H. Hossien. in proem. sum. numer. 8. Muta ad consuet. Panorm. c. 68. & alijs communiter.

I. sib. ut testamen. disc. § 1.

L. Sanfelic. decis. 374.

M. Io. Andr. inc per tuas num. 7. qui sibi sunt legitimi Aponte de Prereg. tis. de assens. reg. in Rubrica in foro.

fiscalis generalis, de quo iam supra (licet incidenter) actum est sufficienter, occasione agendi de Aduocato fiscali; Ac etiā pluries mentio habita est agendo de singulis Tribunalibus Vrbis, quæ causas criminales quoque peragant; Istudque munus inter alia, supra recensita, primum locum occupat, dum Fiscalis præcedit Commissarium Cameræ, atque dicitur Papæ familiaris, non solum ob partem palati, quam obtinet, sed etiam quia videntur vestibus violaceis, quibus videntur 119 Papæ familiares actuales, & aulici, qui illi in aula domestica inseruiunt, Camerarii appellati, quorum aliqui sunt honoris tantum, alij vero actuale seruitum præstant; Eisdem prærogatiis in omnibus habet quoque Commissarius Cameræ, qui est Procurator Cameræ, & fisci in ciuilibus, siue in negotijs cameralibus, iuxta distinctionem superiorius traditum, inter Cameram, & fiscum.

Ambo itaque isti duo Procuratores, Cameræ, & Fisci in officium, sedent in Camera inter camerales, ac respectuè interueniunt in Congregationibus, alijsque congressibus criminalibus, vel cameralibus, pro qualitate negotiorum, quæ eorum cuilibet incumbunt, vt agendo de Aduocato fiscali supra aduertitur.

Et nisi essent officia manualia ad nutum amouibilia, adeoūt non habeant illam perpetuitatem, quam de eius regulari natura habent prædicta duo alia officia Aduocati pauperum, & Aduocati fiscalis, essent longè maioris existimationis; Tum ob maiora emolumenta; Tum etiam ob maiorem occasionem beneficiorum, vel præjudiciorum, ex quibus in hoc Mondo existimatiq; maior resultare videtur Fiscalis scilicet in causis criminalibus, & Commissarij in appaltibus, & spolijs, alijsque iuribus cameralibus, dum isti officiales maiorem habent in huiusmodi negotijs partem, quam Aduocatus, qui 120 iuxta eandem Curiæ praxim, etiam cū priuatis, reputatur remedium subsidiarium prò difficultatibus, quæ consistunt in puncto iuris, in reliquis autem totum pondus, totaque fiducia est Procuratorū, Idque ad rem potissimè comprobat praxis audientia Papæ; Siquidem, vt alibi

supra aduertitur, poē Cardinalem nepotem superintendentem generalem, & Datarium, ac Secretarios Breuium, & Statutus, magis frequentem, & accuratam audiendam Papæ habent, Gubernator

121 Vrbis, & Thesaurarius statutis diebus mercurij, & sabati, vlrā illā extraordinariā quam negotiorū urgentia exigat; Iste vero officiales maiores semper adiunctos habet præfatos officiales minores, Gubernator scilicet Fiscali, & Thesaurarius Commissarium, vt si oportunitas exigeret, Pa- pe audientiam quoque habeant; Quinimò praxis quandoq; docet, quod maiorē fiduciam habeat Papa cum fiscali, quam cū Gubernatore, siue majorē cum Commissario, quam cum Thesaurario. Et tamen id non sequitur in Aduncato, quem raro, & in aliquibus extraordinarijs gravibus negotijs Papa solet audire.

Benē verum est, quod antiquioribus temporibus, longè maius erat munus Commissarij Cameræ, dum quamplura explicabat ex ijs, quæ nuoc explicitant Gubernator, & Thesaurarius, vt saepius recensiti antiqui Römanæ Curiæ praxis scriptores testantur. N.

Non semper tamen isti officiales, ex isto Procuratorum ordine assumuntur, & præsertim Procurator fiscalis, dum vt superius insinuatum est, esse solet peritus criminalista, qui in munere iudicis, vel Locumtenantis criminalis diu versatus fuerit; Pro frequentiori autem praxi ex hoc ordine procuratorum, & præsertim ex illis collegi, assumi solet Commissarius, sed quandoque rarius, etiam ex ordine Aduocatorum.

Habent autem isti officiales adiutorem, vel ministrum subordinatum, qui substitutus fiscalis, vel substitutus Commissarij appellatur, istique ex ordine sollicitatorum, & quandoque etiam procuratorum, non tamen Collegi assumi solent quantum praxis docet.

Adsum quoque in criminalibus, qui dam alij fiscales; Nempe ille supraenunciatus, Tribunalis Sancti Officij, siue inquisitionis vniuersalis; Alter fori Capitolini enunciatus in eiusdem fori particulari rubrica; Et alter in Tribunalis Edi-

lum ieu Magistrorum viarum, ut pariter supra in huius Tribunalis rubrica habetur.

Procuratores pauperum, duo sunt, ut occasione agendi de visitatione carcera-  
torum, pariter supra insinuatum est O;  
126 Vnus scilicet, quem iuxta generalem  
mōrem omnium principatuū, & magnorū  
Tribunalū respectivē, deputat Papa, tan-  
quam adiutorem, & operarium Aduoca-  
ti pauperum, in ijs que facti sunt, siue in  
ijs, que processus ordinatoria concer-  
nunt; Alter vero deputatus per insignem  
Archiconfraternitatem, quæ Charitatis  
appellatur, eaque ercta est in Ecclesia  
Sancti Hieronymi prop̄ palatiū Far-  
neseanum; Quia vero sunt istorum Pro-  
curatorum munera, vel obligationes, ple-  
ne agunt moderni scriptores de visita-  
tione carcerū, qui in hoc munere, nimirū  
laudabiliter diu verlati sunt, ideoq; apud  
eos facile erit inspicere. P.

## VII.

De Sollicitatoribus, & Agentibus, alijsque  
togatis qui sub Curialium ge-  
nere veniunt.

**I**N IURIDICA significatione, Sollicitatores  
sunt duplicis species; Vna scilicet foren-  
sium seu causidicorum qui in causis con-  
127 tentiosis, sunt adiutores, & operarij  
Procuratorum, circa acta ordinatoria, &  
alia munia personalia magis mecanica, in  
quibus classici, & occupati Procuratores  
non solent se ingerere per se ipsos, ut lu-  
pra dictum est; Et altera eorum, qui va-  
cant negotijs Datariae, & Cancellariae  
Apostolicae, ac etiam Secretariæ breviū,  
seu P̄ceptentiarie, & sic circa gratiosa po-  
tius quam contentioſa.

De commun: vero loquendi vnu, sub  
hoc vocabulo Sollicitatorū, veniunt fo-  
rum illi de prima specie, cum alijs de fe-  
cunda, appellantur Expeditores, siue Ex-  
peditionerij.

Verificatur autem in forensibus, & cō-  
tentiosis, ista tertia species, in causis Tri-  
bunalis Rotæ, ac etiam in aliquibus gra-  
uibus aliorum Tribunalium, & præterim  
vtriusque Signaturæ, Cameræ, & Audi-

toris Cameræ; In reliquis enim generali-  
ter ista contradistinctio non datur, quo-  
niā vnu gerit omnia, solumq; aliquan-  
do ( sed raro ) vbi grauis difficultas vr-  
geat, ad opem Aduocati, ut plurimum,  
post vulnus acceptum, recurrere solent;  
Istorūque est maior, ac penè infinitus  
numerus. vtranque figuram facientium  
Procuratorum scilicet, & Sollicitatorum  
respectivē, pro causarum qualitate; Qui-  
nimo etiam inter eos plures classes seu  
distinctiones dignosci videntur, pro di-  
uersitate Tribunalū, quibus aliqui omni-  
nō addicti sint, in alijs nō versētur; Aliqui  
vero magis, & minus, alijs quoq; vacant.

Istorum Sollicitatorum, qui sub Pro-  
curatorib; eorumque subordinatione,  
causas sollicitant, munus est incumbere  
aliquibus actibus ordinatorijs, tam iudi-  
cialibus, quam extra judicialibus, & præ-  
terim in citationibus, & intimatio-  
128 nibus, atque in subscriptionibus du-  
biorum, atq; in distributione informatio-  
num in propositione cause, iuxta ea quæ  
agendo de Tribunalī Rote insinuata-  
sunt Q, ac etiā in illis Cameræ, & vtrius-  
que Signaturæ; Ipsique vt plurimum in-  
terueniunt in contradictorijs, quæ habē-  
tur in publicis audiencij, in Tribunalib;  
præterim Auditoris Cameræ, & Vi-  
carij, ac in alijs.

Et quoniam isti, pro maiori parte esse  
solent iuuenes studiosi, & diligentes, qui  
hoc munus suscipiunt, ut instruantur, atq;  
129 habilitentur ad munus procuratoris, &  
quandoque etiam ad illud Aduocati, cum  
etiam in puro Iurista, nimirū conferat,  
habere aliquam notitiam praxis, non fo-  
130 rum istius sollicitaturæ, sed etiam alte-  
rius Datariae, & Cancellariae, præterim  
pro materijs beneficialibus; Quinimō,  
magis id conferret, atque fortè necessariū  
esset, in ijs, qui viam Prælaturæ assump-  
turi sunt; Hinc proinde, classici occupa-  
ti Procuratores, istorum operam adhi-  
bere solent, etiam in visura, & spolio pro-  
cessus, & in compositione summarij, su-  
per magis substantialib; iuxta plures  
enunciatum stylum; Quia vero non om-  
nium hominum eadem est conditio, atq;  
impossibile est, ut in aliquo genere per-  
sonarum

O. supra disc. 29.

P. Scannarola de visitat carceratorum lib. 1.

§. 8. cap. 6. fol. 106.

Q. supra disc. 32.

sonarum dentur solum viri probi & inte-  
gri, sine mixtura improborum; Hinc  
ali quando sequi solet, quod aliqui mali-  
genij iuuenes, concipere solent summa-  
rium minus fidele, seu factum diuersimo-  
de supponere, atque exinde apud non be-  
nē versatos, scandalum aduersus Curiales  
concipi solet; Verū Procuratores quan-  
do id agnoscant, seu per alterius Partis  
oppositiones, premoniti sint, cum me-  
morialibus, in vigilia propositionis cau-  
sa, iudices, de errore, vel alteratione, can-  
didè, atq; cū debita integritate aduerterit;  
Istorumque Sollicitatorum prēmium pro  
frequentiori praxi consistit in annuo vel  
menstruo stipendio, tanquam per specie  
salarij, atq; vt plurimum ipsi sunt Procu-  
ratores iudiciales id est quod in corūper-  
sonis consciūtur mādaq; ad lites, ideoq;  
iuxta Procuratores defētores verē & pro-  
priē sunt Patroni causarū, siue Aduocati  
iuxta mōrem aliarum Curiarum, & regio-  
ne quibus non habeatur ista tertia species  
Aduocatorum Curiae respondentium de  
iure tantum.

De altera vero specie Sollicitatorum  
Datariae, & Cancellariae, aliquid insinua-  
tum est supra agendo de Vicecancellario  
& de Datario R, Istorum vero prēmiū  
licitum, & publicum suas habet taxas à  
131 quadam consuetudine, tot scilicet du-  
catorum, pro qualibet expeditione, iuxta  
earum diuersam qualitatem; Reliquum  
vero quod à partibus ignaris extorqueat-  
ur, quodq; facilis in negotijs vtrā mō-  
res sequi potest, & forsan quandoque so-  
let, est furtum, & rapina.

Item in hoc etiam primo genere Solli-  
citatorum forensium, adeo vnu qui ha-  
bet hoc munus in officium, nempē Solli-  
132 citator Cameræ, atque in hac sphera  
reputatur munus considerable; Tum ob  
emolumenta; Tum etiam ob peritiam,  
quam assumit grauiorum negotiorū ca-  
meralium.

Agentes dicuntur illi, qui curam ha-  
bent negotiorum, tam forensium, quam  
aulicorum, quæ in Curia habeant Lega-  
133 ti, Nuntij, Episcopi, Gubernatores, &  
alij similes; Ac etiam, Principes, & Ma-  
gnates, atque Communitates; Istorumq;  
penè infinitus est numerus, atque ab eis  
peragitur maior pars negotiorum, quæ

R. supra disc. 9. & 10.

in forma extra judiciali, pro maiori parte  
per viam supplicum libellorum seu me-  
morialium peraguntur in Sacris Congre-  
gationibus Cardinalitij, de quibus di-  
stincte supra est actum; Itaque Curialū  
species vel sphaera, est forsan Curiae famæ,  
& existimationi magis praedium, in-  
negotij præfertum gratiosis Palatiū Apo-  
stolici vel Datariae, & Secretariæ breviū,  
siue Sacrarum Congregationum, ac etiā  
quandoque in negotijs contensiosis Tri-  
bunalū, quod scilicet ad propriū turpē  
lucrū; Aliqui extorqueat à correspōsalibus  
pecunias, falsō fingendo munera & cor-  
ruptelas officialium, seu mediatorum;  
Ad sunt tamen inter eos quoq; viri probi  
& integerrimi, omnique laude digni.

In hoc etiam genere, adsunt illi, qui  
hoc munus habeant in officium publicū;  
Vt sunt Agentes Communitatum, de  
quibus superius agendo de Congregatio-  
ne Boni Regiminis aduertitur S; Ac etiā  
sunt aliqui nimirū qualificati Agentes,  
Imperatoris, & Regum, aliorumque ma-  
gnorum Principium, qui peragunt ea ne-  
gotia, quæ peragi non congruit per eo-  
rum Oratores, quatenus adiunt, siue etiā  
ea, quæ ab ipsis agenda essent, quando  
abesse contingat.

Magnum præterea numerum habet  
Curia, professorum togatorum, etiam ni-  
mirū literatorum, & in scientijs versato-  
134 rum, qui quandam tertiam, seu neutrā  
speciem constituant, quia nempē, non  
sint formiter addicti Curiae forensi, ge-  
rendo explicitum munus Aduocati, vel  
Procuratoris, vel Sollicitatoris, siue Ag-  
entis; Minusque addicti sunt Curiae aulicæ  
gerendo munus Auditoris, Vel Secretarij  
literarum, & memorialium respectivē,  
siue Adiutoris studiorum, sed propriæ  
domi viuentes, atque aliquas aulas colen-  
tes, pro eorum prætensiōibus, assequen-  
di dignitates, & beneficia, siue, ut se di-  
ponant ad prælaturam, adhuc aliqua pe-  
ragunt negotia, vel aliquarum causarum  
studio, & defensioni vacant, gerēdo actus,  
sub nomine alterius Curialis; Istamque  
personam ego per aliquod spatium gessi,  
priusquam muneri Aduocationis, ex amicorum  
fusionibus, formiter me addicce-  
rem, dum abique hoc animo, accidentaliter  
ad Curiam accessi, pro aliquibus con-  
trouer-

S. supra disc. 26.

trouersis immunitatis ecclesiasticae, occasione Vicarius Generalis in patria, adeo ut casui mea curialitas referenda sit, praeter intentionem assumendi hanc pessimam occupationem, quam dedit Deus filiis hominum.

Admirationem aliqui non benè informati concipiunt, quod Aduocati, vel Procuratores classici, & famosi, iuxta aliorum principatum stylum, non frequenter ad 135 maiora munera, maioresq; gradus promoueantur; Verum admiratio effectus est imperitiæ; Vbilibet etenim literatorum duæ sunt classes, vel duo sunt insimul connexi ordines; Vnus scilicet Magistratum; Iter vero Aduocatorum; Ideoque ad Magistratum loca vacantia, ex alio Aduocatorum ordine assumere oportet; Secus verò est in Curia, dum quatuor sunt literatorum, & togatorum ordines; Primus nempè Magistratum maiori; Secundus Prælatorum, qui cum magna proprij æris erogatione, in Nuntiaturis, & Gubernijs, alijsque Sedis Apostolicæ muneribus, ac seruitio diu versantur, ac merentur; Tertius est Aduocatorum, & Procuratorum; Et quartus Aulicorum, ac aliorum vt supra; Ideoque post primum ordinem, succedit secundus Prælatorum, qui dignorem occupat locum, & per consequens non mirum, si rara est assumptio, vel euocatio eorum qui sunt in tertio & quarto; Ac etiam quia electui Principatus qualitas frequenter operatur verificationem parabolæ Euangelij, quod sint nouissimi primi, & primi nouissimi.



De Notariis; Et remissiū de alijs pertinentibus ad Curiam Romanam.

### S V M M A R I V M

- D**E duplicitate Notariorum priuitorum, & illorum qui habeant in officium.
- 2 Quod Notariorum priuatorum usus in Curia sit modicus.
- 3 De substitutis, & adiutoribus Notariorum habentium officium.
- 4 Quod isti substituti debeant esse Notarii, & quid se non sint tales.
- 5 An Sacrae Congregationes adhibeant Notarium.
- 6 De Notariis Rotæ.
- 7 De Notariis Cameræ.
- 8 De illis Auditoris Cameræ.
- 9 De Notariis Vicarii, & Gubernatoris, & praesertim de Notario criminali Gubernatoris.
- 10 De Capitoliniis.
- 11 De Notario Archivij, & de alijs singulis tribus aliquorum Tribunalium.
- 12 De recusationibus Notariorum, vel questionibus super pertinentia causariorum.
- 13 An Procuratores, & Sollicitatores teneantur de proprio ad solutionem emolumotorum pro actis & expeditionibus.
- 14 Emolumenta Notariorum habent suas taxas.
- 15 De fide quæ praestatur Notariis Curiae praesertim Auditoris Cameræ.
- 16 De huiusmodi officiorum venalitate, valuatione, & pertinentia.
- 17 De materiis criminalibus, & canonizationibus Sanctorum quare non agatur.
- 18 De alijs generalitatibus ad materiam Curiae ceremonialis, vel aulicæ, seu polycæ.

### D I S C . XLVII.

- Ltrā illos adeo qualificatos Curiæ Notarios, qui in Prelaturæ statu constituti sunt, Prothonotarij Apostolici de numero participantium appellati, numeratum Collegium constiuentis, vt supra in rubrica plurium Collegio.

